



# **Julii Chiffletii Audomarum obsessum et liberatum anno M.D.XXXVIII**

<https://hdl.handle.net/1874/36628>

Johnston

266 H16

IVLII CHIFFLETII  
AVDOMARVM  
OBSESSVM  
ET  
LIBERATVM

185. v. 1. 25.

ANNO M. DC. XXXVIII.



BIBLIOTHEEK DER  
RIJKSUNIVERSITEIT  
UTRECHT.

ANTVERPIÆ,  
EX OFFICINA PLANTINIANA  
BALTHASARIS MORETI.  
M. DC. XL.

284 H 10  
WILHELMINA  
VADOMARVA  
OBESSVM

BIBLIOTHECA  
RIJKSUNIVERSITEIT  
UTRECHT

*Keizerlijke  
Bibliotheek  
te's Hage.*

3

SERENISSIMO  
CARINIANI  
PRINCIPI  
FRANCISCO  
THOMÆ  
A SABAVDIA.



VM tua, PRINCEPS  
SERENISSIME, ea-  
que maxima in se  
merita Belgæ ex-  
pendunt, quid-  
quid pietatis nomine honori-  
ficentissimè, & ad laudem  
magnificè dicere de te aut ex-  
cogitare possunt; iure infra  
laudem & longè leuissimum

A 2

existi-

existimant. Iam id solùm se posse omnes agnoscunt, vt, quemadmodum tu palàm cum illis, vrbes asserendo, hostes profligando, beneficiis certare visus es; sic illi in conseruandâ eorundem memoriâ piè contendere audeant, & reditum tuum votis omnibus expetere. Expetunt certè; & si fas dicere, Subalpinis tuis & Insubribus quodammodò inuident, quòd iam illi præsentiam tuam sæpè victores, eius nobis desiderium augeant. Quid ni, plerique aiebant, à Principe THOMA Austriaci sanguinis generositate inclyto, speremus iam tale aliquod prælium, quo PHILIPPO II. Rege EMANVEL-PHILIBERTVS Dux Allobrogum auus illius,

illius, ad Fanum Quintini populis pacem, Regi verò æternum decus comparavit? Sed, illis præcisâ tui potiundi spe, ad Principatus auitos euolasti, relictâ dumtaxat in eorum animis gratâ rerum à te gestarum memoriâ. Hanc ego, dum viget, pro ingenij mei viribus tradere posteritati institui, ne fortè iniquum virtuti silentium, beneficiorum obliuionem induceret, nepotesque per incitiam in turpem ingrati animi notam incurrerent: nempe qui vidêre, quantumlibet memores, omnes tamen vnius ætatis, adeoque homines sunt; & breuî, quæ rerum humanarum conditio est, non referent Audomarense acco-

læ, quod modò passim, sese Principem THOMAM aciem hîc instruere, ibi flumina cohibere, alibi hostem cædere, atque vbique victorem aliquando vidisse. Sed cùm animum meum, vtique rerum à te gestarum gloriæ imparem, earum magnitudo retardaret; ex his quæ gessisti omnibus solam Audomarensis obsidionem expressi: vt, quemadmodum in Imperatoriis nummis veteres, vt integros exercitus exhiberent, omnium instar militem vnum repræsentabant; sic ego urbem libertati à te nuper asfertam, vnam quidem, sed in quâ plurimum salus versaretur, tamquam facinorum tuorum omnium specimen, in hac historiâ



storiâ repræsentem. Ne ergo,  
 PRINCEPS GENEROSIS-  
 SIME, grauius feras in oculos  
 tuos Audomarum reuerti, nul-  
 lo iam alio quàm ipsius verita-  
 tis lumine illustratum; cum  
 præter eam, quæ in me sita est,  
 honoris & conscientiæ curam,  
 satis norim, quantum adulatione-  
 nem (quam olim Tacitus fœ-  
 dum crimen seruitutis rectè ap-  
 pellauit) asperneris, fictarum  
 laudum iure contemptor, cum  
 sis verarum plenissimus. Si sine  
 singulari tuâ laude scribi aut  
 legi non potuit, quòd tanta ges-  
 seris, HEROS MAXIME, in caus-  
 sâ es: & quamuis virtutum tua-  
 rum præcones, gloriamque tibi  
 debitam pro modestiâ tuâ effu-  
 gias; tamen fieri deinceps non

§ PRÆF. AD PRINCIPEM.

poterit, vt qui Audomarum ob-  
fessum legent, illicò à THOMA  
Sabaudix Principe, cuius in  
fronte velut assertoris nomen  
præferet, liberatum non intelli-  
gant. Nempe, quod olim moris  
fuit, hodieque est, vt à quo, qui-  
bùsve Consulibus res præclarè  
gesta esset, decumanis urbium  
portis inscriberetur; id ego mo-  
dò fronti Clarissimæ vrbis  
PHILIPPI IV. Regis Catholi-  
ci & verè Maximi armis, nec  
non Serenissimi Hispaniarum  
Infantis FERDINANDI tot vi-  
ctoriis inclyti auspiciis, à te vin-  
dicatæ, ad memoriam totius  
posteritatis, ex animo inscribo

*Julius Chiffletius.*

Bruxellis Kal. Ian.  
an. cIo. Ioc. xl.

A D

# AD LECTOREM.



VÆ de Obsidione  
Audomarensi to-  
to Orbe circumla-  
ta est fama, cum  
eam plura supra  
preteritorum bellorum memo-  
riam celebrarint, peculiarem si-  
bi historiam poscere visa est.  
Nemo enim facile aduersæ Gal-  
lis fortuna ludibria, Ducum  
agminumq; cadem multiplicem,  
aut animo assequi queat, aut  
oratione complecti: crederes in  
vnum alterumve mensem in-  
tegræ sæculi res à fortunâ cu-  
mulatas. Quin & præter incre-  
dibilem tum propugnantium  
tum succurrentium virtutem,  
ea quoque celestium beneficio-

A 5

rum

rum varietas fuit, ut obsessorum vota superasse videatur. Quocircà meritò curandum fuit, ut tantarum rerum gloriosa documenta, consignata Scriptorum fide, illibata atque integra ad posteros peruenirent. Id ego muneris, non aliorum, ut plerique in suis historiis præfari solent, rogatu, tenuitatis aliqui mea satis conscius, sed patris imperio suscepi. Nempe huic præ ceteris mihi id onus imponere iure licuit, quòd in eà expeditione Cariniano Principi perpetuus comes, rerum ab ea gestarum commentarios habuerit, quales nemo alius: eà porrò omnes auctoritate, ut nihil in iis temerè adsertum intelligas; quippe quæ à Principe gesta sunt,

ex eo fonte hausit, cuius aqua  
 crystallo limpidiores turbulenta  
 fieri nullo modo possint. ex iis  
 videlicet, quae ipse indies & per-  
 quam sedulo ad FERDINANDVM  
 Infantem scripsit. Quae intra  
 urbem, aut circum, à doctissi-  
 mo iuxta pioq; viro Guilliemo  
 VVitto apud ipsos Audomaren-  
 ses diui Bertini alumno acce-  
 pit: qui cum haud dubiâ fide,  
 singulorum diligentissimus ob-  
 servator fuerit, ea citra vllum  
 veritatis damnum tradere po-  
 tui. Adhuc, Audomari sub exi-  
 tum obsidionis, diarium rerum  
 in urbe gestarum editum est,  
 quod in oculis Senatus urbis  
 vulgatum, quidquam externis  
 imponere nemo existimet. Si  
 quae praeterea contigerunt, quia

*non accepi, non queo prodere. Et fortassis ea essent eiusmodi, quæ nec ullum in historiâ locum sibi vendicarent; cùm ea sit eius dignitas, ut quaecumque facinus, & citra delectum, scribi non ferat, Nisi cui, ut eleganter Tacitus, lubeat laudandis fundamentis & trabi- bus volumina implere; cùm ex dignitate populi Romani repertum sit, res illustres Annalibus, talia diurnis Urbis actis mandare. Hæc & alia eiusmodi, quisque suis olim nepotibus etiam cum laude referet. De hostibus verò non est quòd quisquam miretur me res eorum ita sigillatim persequi, cùm ne ipsi quidem eas negare possint, nisi suis ipsi litteris cre-*

crebrò interceptis fidem abrogent. Ceterum nullius in quemquam inclementius dicti mihi conscius sum, ut qui singula sine odio, sine nimio amore partium, quibus vitiis apud hostes laboratum est, representem; ne in hostes quidem vehementius inuehi satis decorum ratus, memor historiam longè aliter ac satyram scribi. Quin etiam, reiectis nimis Ducum militumq; laudibus, molem vitauimus, cum eximium ipsa sibi præmium virtus sit; & res præclarè gesta, quot lectores, tot præcones habeat. Denique nihil aliud in animo habui, præter Dei Optimi Maximi gloriam, cuius in primis auxilio propè manifesto soluta obsidio

*est; tum Principum inauditam fortitudinem, ad extremum populi fidem, posteris in exemplum exhibere.*





IVLII CHIFFLETII  
AVDOMARVM  
OBSESSVM  
ET  
LIBERATVM.



Es ipsa hortari videtur, quoniam hodierni belli partem scripturus sum, nuperæ pacis originem, tum finem, adeoque

belli initia paucis exponere. Verbi-  
ni superiori sæculo sancitâ pace,  
Philippus Hispaniarum Rex, com-  
plures arces portusq; Henrico IV.  
Galliæ Regi pænè vltro reddiderat;  
& Pontifice auctore, solemnes pœ-  
næ adiectæ erant, vt fœderi tantil-  
lùm aduersari religiosum iuxtâ &  
sacer-

facerrimum haberetur. Pacem hanc  
 Austriaci summâ deinde fide co-  
 luère; tum verò maximè, cùm  
 Henricus repentino fato sublatus  
 Ludouicum filium, tenerum & op-  
 portunum vltioni, reliquit. Fortè  
 etiam tum Galliæ duæ factiones  
 erant; quarum altera more maio-  
 rum castis aris addicta, altera noui-  
 tiæ superstitionis assecla erat: illa  
 quietem mutuis dissidiis fessa, ista  
 nouorum motuum, vt in turbido  
 piscaretur, causas quærebat. Itaque  
 Austriacis fortè cuiusdam tunc inte-  
 grum fuisse videatur, pro Henrici  
 iniuriis, qui violatis fœderis con-  
 ditionibus, Batavis auxilia in belli  
 alimentum submiserat; à Ludoui-  
 co bello pœnas repetere: sed eo-  
 dem maternæ tutelæ permissio, Prin-  
 cipibus Austriis, vique optimis,  
 carior fides, quàm vltio, rerum-  
 que suarum incrementum fuit.  
 Quin & Philippus eo nomine ter-  
 tius

tius Hispaniarum Rex, quò propensioris ad pacem studij fiduciam augeret, Isabellâ Ludouici germanâ, in Philippi filij vxorem acceptâ, Annam quoque filiam Ludouico Regi vxorem dare non dubitauit. Ita diuturnam inter eos pacem fore spes erat, quæ iam per annos xxxvii. populi desiderium acuisse magis quàm expleuisse videbatur. Italia Germaniaque bello ardebant, & erat quòd Belgij Galliaque felicitati inuiderent. Sed quæ Gallis fœderum reuerentia est, gentium deinceps urbiumque funera propria tranquillitati præstare existimarunt, tandemque anno huius sæculi xxxv. pacis eos tædium cepit.

Priùs tamen, quò iure gentium in speciem agere viderentur, homuncionem quemdam Iohannem Gracioletum nomine pro Fetiali misère, qui instaurato majorum  
ritu

ritu bellum pro Rege denuntiaret. Is iniecto humeris paludamento, pileo rugis coherentibus supernè orbiculato, non vt olim in ipsis Regni finibus substitit, sed rectà Bru-xellam ipsam contendit. Aulici rei nouitate perculsi, vt qui ex imagine tantùm, maximè in parentationibus Principum, Fetiales nossent, de hominis conditione propiùs quæ-rere incipiunt: adeoque ipsemet Ferdinandus Hispaniarum Infans, accersito viro, eorum, quos Heral-dicos vocant, rituum sciente peri-toque in paucis, iussit eum quam-primùm specie alicuius de eâ arte colloquij hominis conditionem ani-mumque explorare. Is ergo vbi il-lum conuênit, rogat perquàm be-nignè, satísne prosperâ valetudine vterentur viri nobiles & in eâ arte celeberrimi, Franciscus Caprarius Fani Mauritanii Dominus, Scæuo-la & Ludouicus Sammarthani fra-tres

tres gemini, Petrus Hozerius Torquatus Eques, Andreas Duchesnius, aliique non pauci, libris de eâ arte conscriptis toto orbe inclyti. Cumque ille ne de nomine quidem sese eos nosse responderet, propius de ipsâ arte colloqui institit, laudare vetera, & letari quòd iam vltro citroque, vt olim, commeaturi Fetiales viderentur; postremùm de Encausto, peculiari Fetialium notâ, & quam ipsimet Galli linguâ suâ *Esmail* appellant, quærere. Ea parvula est vt plurimùm aurea, encausto obducto symbolum regionum, à quibus illis est nomen, inscriptum ferens; & quam infra pectus ad læuam fibulæ instar præferre Fetiales debent. Sed cum vir ille indoctus nihilo amplius de Encausto, aliisve quæ artem spectabant, exprimeret; & satis alioqui procax, in eâ duntaxat arte quam profitebatur planè rudem & imperitum se exhiberet;

qui

20 IUL. CHIFFLET. AVDOMARVM  
qui ad explorandum missus fuerat,  
in Concilium reuersus, & à Princi-  
pe sententiam rogatus, spectatum  
à se hominem, audacem esse, pro-  
teruum, & paludamento tenus Fe-  
tialem esse respondit: sed nec idem  
paludamentum, quod *Alenſonij*  
(nam ita brachialibus inscriptum  
erat) vocem præferret, idoneum  
suæ protectionis insigne esse: Bel-  
gis id genus insignium (nempe  
terna Regis ipsius Lilia) pro Alen-  
sonianis ignotum, quæ apud eos  
scuto Francico margine miniato  
& nummis octo Byzantiis impresso  
circumferrentur. Prætereà require-  
re se Encaustum, quod nec suppo-  
sititius apud Comminæum Ludo-  
uici XI. ad Anglorum Regem Fe-  
tialis omisisset. Denique nullum  
illi diploma publicæ fidei ad libe-  
ram comæatus tutelam suppetere,  
quo olim in ipso bello, vbi præci-  
pue Fetialium partes essent, etiam  
opus

opus fuisset. Ita Burgundiam ( id homini ex munere erat nomen ) Caroli V. Imperatoris temporibus, cùm Francisco I. Galliaë Regi certum singulari certamini locum ad Vidosum amnem Andaiam & Baionam inter denuntiatum iret, non antè à Sanbonetio Baionæ Præfecto fines Regni ingredi permissum, quàm veniam à Rege de scripto impetrasset. Cùm ergo in Concilio prudentissimi quique hominem ignotum, peregrinum, & iam propè hostem, in conspectum dare Principi vererentur; consilium fuit eum honestè, quantum fieri posset, dimittere: proinde Principis iussu in ædibus Caroli Lockinghemij nobilis Exconsulis & vigilum Præfecti lautè exceptus, abire permissus est.

Bellum exinde atrox, sed nullâ re magis quàm crebris fortunæ ludibriis ipsoque initio clarum: quippe

pe

pe cùm Galli feliciori paulò ad Namurcum prælio tumentes, Batauis exinde iuncti, in Louanium Brabantiaë Metropolim sæuire instituissent, non solùm breuî irrita obsidio, nobilem antè litteris Academiam inclytam armis fecit; sed etiam formidolosus eorum exercitus, partim inopiâ, partim vulgatis contagione morbis absumptus est. Altero deinde anno, iidem rati Belgio satis cum Batauis anniuersariis hostibus fore, Burgundiam quâ libera est, ordine suo tentarunt. Ita nulla iterùm illis Burgundici fœderis religio. Proinde & ibi Deus ipse testatus est, curæ sibi non securitatem modò, sed vltionem Sequanorum esse: quippe Dolâ panè trimestri obsidione cinctâ, didicêre tandem eam urbem fortissimo Regi seruari posse, quæ dudum orba Principe, parem eademque fide à Ludouico XI. obsidionem tulisset.

Iam



Iam nihil aliud supererat, præterquam ruris agrorumque supplicia pro bello extrahere; & verò ferè in consuetudinem verterat, cùm tandem tertio belli anno, vastatâ Hannoniæ parte, distento alibi Principe, Landrecium occuparunt.

Exinde velut in oppido prouinciam vicissent, Flandriam deinceps delicias horreumque Belgij petendi cupido incessit. Tum maximè eam prouinciam esse eiusmodi reputare cœperunt, è quâ bello vires haud ægrè reparabamus, quæque comineatum copiis, sumptus Principi, Ducibus militem suggerebat: solum Audomarum eam expeditionem morari posse, quod in finibus Atrebatium situm Flandriæ quodammodò specula esset: nihilominus perfacilem eius expugnationem fore, si Ducum quispiam, quorum satis ferax Gallia esset, Belgij fines aliò inuaderet, aliò Bataui  
oram

oram maris legentes arduum quid-  
piam molirentur. Circa urbem  
nihil planè defuturum eorum quæ  
obsidionem iuarent, humum du-  
cendis fossis aggeribusque ido-  
neam, flumen aquationi, silvas li-  
gnationi, agros pabulationi oppor-  
tunos: ad hæc alterâ oppidi parte  
humentes naturâ agros, penitus,  
aut nullo fermè negotio suppetias  
interclusuros. Cæli verò iniquita-  
tem, si densis ingrueret imbribus,  
minimè ideò extimescendam, cum  
id ipsum, si quantulumcumque ipsis  
incommodum afferret, longè ma-  
iori damno vrbi cederet; quæ, hu-  
iusmodi inundationibus, eâ parte  
in auxiliij desperationem adduce-  
retur. Neque à suppetiis quidquam  
sibi planè formidandum, cum agrè  
aut potiùs omnino fieri non posset,  
vt Ferdinandus, cuius cum Bata-  
uis alibi vires implicitæ essent, ma-  
iore exercitu conflato ad soluendam  
obsi-

obsidionem adueniret. Sed neque  
 fame castra sua ab eodem fatigari  
 posse, quando ipsi rerum omnium  
 copiâ facilè essent abundaturi pro  
 commodo variarum urbium situ,  
 quæ summùm trium quatuorve  
 horarum interuallo distabant. Fu-  
 turum prætereà, ut ipsi instructis  
 ferè agminibus in Flandriæ pene-  
 tralia grassarentur; & sic vel timo-  
 re victi accolæ, vel vtrò, annonam  
 in castra supportarent. Denique ni-  
 hil in præsentia magis è re Franco-  
 rum Regis, atque hanc expeditio-  
 nem fore, quæ non Audomarum  
 tantùm, sed etiam Greuelingam,  
 Dunkerkam, Portum-Iccium vl-  
 teriorem, denique totam oram  
 Flandricam, adeoque ipsius Belgij  
 horreum inuolueret. Ita ergo cum  
 hæreticis & rebellibus coniuratum,  
 ut omnes simul in spem futuræ  
 breuî expugnationis venirent. Adeò  
 nempe facile est bellum pro libidi-

ne sumere; ponere autem, vt hac historiâ compertum, arbitrij alieni.

Ab his igitur in hunc annum, qui fuit à Virgineo partu ∞. 100. xxxviii. complures decretæ legiones, & Sociorum numerus quantus parari posset: nonnullæ etiam è veteranis prouinciarum legionibus, olim à Francisco I. Gallorum Rege institutis, delectæ: demum is militum numerus conflatus, vt, nisi apud hostes etiam error calculi fuerit, coacto exercitu capitum ad. x l. millia recensita sint; in quibus equites quartam minimum partem implerent.

In omnes summâ vnus auctori-  
tate imperium à Rege accepit Gaspar Collignius, Castellonis ad am-  
nem Lupam Marchio, stirpe qui-  
dem illustri & bellicis operibus cla-  
rus, sed cui hausta iam inde ab in-  
cunabulis hæresis fœdam inussit la-  
bem. Huic inter ceteros perpetuò  
ad-

adfuit Petrus Brocius, Episcopus Antissiodorensis, quem (quod aliud pij quique Belgæ suspicari non possent) apud eum Catholicorum militum præsidem egisse vulgatum est; reuerà tamen vt clam Ducibus, singulorum quæ in castris gererentur, Richelium Cardinalem certio-rem faceret. In re bellicâ primus à Castillonio fuit Carolus de Caseo-  
lo, Praslinij Marchio, Equitum Magister: ab eo deinde Regius in exercitu Legatus Franciscus Hospita-  
lius HallierI Dominus, idemque frater Nicolai Victoriaci Marchio-  
nis & Franciæ Tribuni: tum qui Caroli à Porta Mecilleriæ Domini Summi tormentorum Præfecti vi-  
ces implebat Ioannes Chiuraus Barræ Marchio. His deinde infe-  
riores aliquot castrorum Præfecti recensebantur, quibus apud eos Campi Mareſchallis nomen est: eâ inter illos dignitate functos Cassa-

gnetium TilladetI & Gigaltium BellifontI Dominos, Vasconem illum, hunc Biturigem, compertum est. Ad vltimum Præfecti Socium, tum Suecorum tum Germanorum, erant Chiliarchæ duo; Zillartius nempe natione Germanus, & cum eo Gassionius Palo Bearnensium Metropoli oriundus, qui & ante biennium Henrico Borbonio Principi Condæo Dolam obsidenti adfuerat. Ceterum non vt antè, milites è vulgo; iusta omnibus arma, viri & maturâ ætate omnes, quiq; haud paruum in re militari vsum habebant. Scilicet nonnulli captiuorum, patriæ suæ fortunam accusantes, aiebant eò se malorum venisse, vt iuuentute continentibus bellis exhaustâ, ætate prouectiores pugnare necesse haberent.

His ita comparatis, contrahi copias, easq; in vnum locum cogi placuit. Quocircà Bononiensem agrum

grum in Morinorum finibus primæ castrorum metationi dixere. Hinc, velut belli rudimenta ponerent, in proximos Atrebatium fines suo grassari arbitrio cœperunt; & exinde paucis diebus, simul omnes ingressi, crudelitati, libidini, impietati frena laxare. Multi protinus iiq̄ue ignobiles vici venire in eorum potestatem, ac primùm quidem Fanum Pauli, Comitatus illius nominis caput, quod vnicâ dumtaxat legionis Wefemalianæ cohorte tenebatur; tum Pefnæ paruulum & vacuum præsidio oppidum, alijque complures pagi, quos incendio & populatione fœdarunt. Maij mensis dies erat quartus & vigesimus, cùm pars altera totius exercitus Ariam processit, populabunda magis quàm iusti more belli: quippe cùm omnia profana spoliaffent, ne sacris quidem abstinuere. Nec matronæ tantùm, sed etiam virgi-

30 IVL. CHIFFLET. AVDOMARVM  
nes & immaturæ & sacræ, eas indignitates contumeliasque perpeffæ, vt iam dicata Deo corpora pecudum more ad satietatem vulgari, ioco esset. Triste vtique spectaculum etiam nonnullis hostium fuit, qui non eâ cæcitate mentis, at sanctiùs, vt par est, de iure belli sentiebant. Tremenda quoque fidei nostræ mysteria per ludibrium passim habuère; Deumque ipsum, quem in Hostiâ ritè consecratâ præsentem omnes agnoscimus, afflictum, conculcatum, non sine copiosis narrantium lacrymis traditum est.

Par propè Morinorum Teruânæ fortuna fuit, quòd & ipsi aperto loco essent positi; sed Antonius Becurtius Centurio plerisque salutis fuit, vt qui hostilis itineris prouidus, dum ipse Audomarum aduolaret, incolas armari, & structum abs se castellum obtinere iussit. Excedit fidem quod de his traditur, agrestes



stes non ampliùs quinquaginta, militiæ peritos, quanta inter rudes esse poterat, bonam hostilis exercitus partem detinuisse; ac primùm quidem castellum, etsi leui opere, tum primas quasque agrestium casas, denique Templi septum, eo ab iis animo propugnatum, vt ne fundi quidem palmum, nisi quem ipsi vltro desererent, hostis occuparit. Quin & obsidentium Præfectis, immodicam eorum pertinaciam grauiter ferentibus, multa strenuè respondere, donec, vt terrentur, captiuorum vnus alterve laqueo ad arborem religato sustolli iussus. Ceterùm aduentante primùm hoste, specimen insigne ac memorabile fortitudinis id fuit, & quam vtpote exemplo dignam, plerique alij deinceps secuti sunt.

Exinde cùm Ariam præteriissent, belli tempestate Audomarum deuolutâ, in conspectum vrbis eodem

iam inclinante in vesperam die venerunt. Primæ noctis illius tenebras villarum incendium discussit, eoque deinceps dies longè gratior affulsit, quòd tum radij solis tetrum ignium splendorem minuerent.

Quoniam de vrbe temporis ordo admonuit, res ipsa postulat situm eius paucis exponere, deinde quomodo ciues regantur, tum de hodiernis munimentis attingere, quæ quàm paucissimis absoluiam, vt exinde obsidionem persequar. Accolæ ergo vrbis sunt ab Oriente & Meridiem versus Atrebatès; ad Occidentem, Bononienses colunt; à Septentrione Flandri & Morini, quæstuosæ nauigiorum spoliis gentes. De antiquitate, cum vetustissimis & Romanorum æuo inelytis emporiis certat. ea siquidem eruditorum sententia est, Iulium Cæsarem, cum primùm classem Britannia

niæ visendæ adornaret, ex eo loco soluisse. Tum fortè Iccio nomen illi erat, citeriori quidem; altero eiusdem nominis ad oram Oceani posito. Fama tenet, Oceani littus, eo tempore sinu facto, vrbi fuisse contiguum. huius rei haud vlla fermè maiora indicia sunt, quàm, præter constantem accolarum famam, præalta adhuc littora, adeoque prisca nominis vestigium, quo *Situs*, velut *Sinum Icium* appellabant. Hinc & superstes aluens, non iam maritimis aquis plenus, sed manantibus tranquillo cursu riuus amœnus est: & accolæ passim anchoras conchasque iis in locis ostendant, æstu olim secundo allatas. Verùm vt certa vrbum, ita quoque nominum fata sunt; simul atque inde paulatim æstus recedere, simul etiam *sinus* esse, *Situs*que appellari desit. Exinde hodiernum illi sacrumque nomen, Audoma-

rus Episcopus fecit. Is, vt ferunt, Morinorum gentem, in luxum vitiaque relapsam, iterumque diu ritu Gentium litantem, Christo conciliauit: cumque ab obitu, par innocentissimæ vitæ miraculorum fama eum celebraret, fortè qui ad venerandas eius reliquias confluebant, hodiernam Diui Audomari appellationem loco fecêre.

In eâ quoque vrbe, Regis & nomen & dignitatem tuetur, qui summi Præfecti appellatione (Ballium vocant) non vrbitantum, sed etiam vicinæ circùm regioni præest. Hunc è primariâ ferè nobilitate deligere solet Princeps; quali dudum Ægidius Vicecomes Liranus, sed maxime durante obsidione, conspicuus fuit. Sacrorum procurationem, Episcopus loci, plenâ religionis maiestate iam inde ab anno  $\infty$ . 10. LIX. sustinet; cum nempe prægnante in Belgio hæresi, ne quid ea pietatis  
auitæ

auitæ turbaret, timeretur. Suum quoque vrbi, & proximum ab illo splendorem confert, veteris & Principum beneficio copiosi Bertiniani Cœnobij Antistes. Denique Consulem Senatoresque habet gemino ordine: hi ciuium, qui & ipsi ab inertia longè absunt, cultu disciplinâque rem augent, pace iuxta belloque habiles, cùm in commune auctoritatem & consilium conferunt.

Mœnia vrbis, satis alioqui firma, murus lateritius amplectitur, & hunc ipsum turres dimidiati circuli formâ in fossam prominentes distinguunt. Nonnulla quoque successu temporis adiecta iis fuere propugnacula: sed cùm nec ipsa mutua mœnium tuitioni paria essent, munitio quoque extrorsum quaesita est. Hinc trans fossam aquis plenam varia aggestâ humo munimenta, quæ ab angulis fer-

mè in circulum curuatis dimidia-  
 tas Lunas appellant. Ex iis præci-  
 puum illud est, quod fronte more  
 tridentis in angulos flexâ aduerso  
 Diui Michaëlis colli obiicitur; è  
 quo hostis, situ plurimum adiuuan-  
 te, maximè infestus vrbi esse po-  
 test. Alterâ parte, quâ ad Clarum-  
 mariscum pertinet suburbanum so-  
 lum, longè alio est ingenio situque:  
 concisa aquis itinera latè accessum  
 impediunt; & præter Agnionam  
 fluuium, qui inde in Oceanum in-  
 fluit, multasque in partes diuiditur,  
 palus obiacet, vt olim Cycladibus  
 Delos, crebris iisque fluctuantibus  
 insulis clara. Agrum Audomaren-  
 sem inde haud procul Noua-fossa  
 à Flandrico diuidit: id genus ope-  
 ris, si famæ libet credere, Baldui-  
 nus Insulanus Flandriæ Comes, ad-  
 uersus finitimorum incursiones me-  
 morabili ausu perduxit.

Ceterùm, vt ad ordinem insti-  
 tutæ

tutæ obsidionis redeam, pridie  
quàm hostis in conspectum vrbis  
veniret, Præfecti militares tardan-  
di eius accessus rationem inière:  
ea fuit, vt qui Centuriones iam  
tum in vrbe essent, cohortibus  
instructi suburbana loca occupa-  
rent. Proinde emissus è cohorte  
Vicecomitis Lirani manipulus Ar-  
kas tenuit; binæ deinde Ioannis An-  
tonij Taillel & Lannoij cohortes,  
Clarum-mariscum, vicinumque  
saltum obtinuère. Quoniam verò  
inter ea loca quæ ad eam vrbis par-  
tem præsidio indigere videbantur,  
præcipuus ille erat, cui Bacquio no-  
men ( à cymbis & lintibus quos  
ibi subeunt, qui è Diui Mommeli-  
ni fano in vrbem commeant ) Tri-  
bunus ipse Lancelotus Grobben-  
donkius Baro Wesemalius, belli  
peritus in paucis, locum illum in-  
fedit, quaternis eò Ganzinij,  
Turrij, Iperfellij, & Ioannis Pu-

teani cohortibus ipsum secutis.

Castillonius ergo cum Arkenſibus primùm colluctatus eſt; vbi & illi tormentis opus, & moleſtâ obſidione fuit: nec enim antè vetuſtâ loci illius arce potitum ferunt, quàm ternis cohortium Præfectis ad eam confoffis. Pari deinde animo ab iis exceptus eſt, qui Clarummaricum tenebant: nam & hi ſuperato Templi ædiumque faſtigio, illatam obſidionem protraxère. Verùm cùm & ipſi cedere coacti eſſent, deditiōnem pactos, non Audomarum, ne propugnantium numerum augerent, ſed Ariam exinde miſit. Iam copias ad eos procul amne ſubmouendos deſtinabat, qui Bacquianam ſtationem obtinebant. Porrò cùm eas imminere ſibi intellexiſſet Weſemalius, qui loco præerat, eductis properè cohortibus in urbem remeavit; vt ne poſt modicam moram hoſti iniectam, ab  
eo



eo circumuentus, magno ciuium damno regredi non posset.

Ita Castillonius suburbanis hifce potitus, locum castris idoneum descripsit, iussitque munimenta, præsertim ea quæ arcendis auxiliis obstruerentur, indefesso opere circumdari. Castra ipse in conspectu vrbs ad Arkensem arcem posuit, tentoriis ad crucem Diui Walberti viæ Regiæ indicem defixis. Id loci cum præ ceteris ei in hospitium placuisset, ex eo sacrorum omnium ac Religionis pristinæ vsum sustulit. Cœnobium Clari-marisci, magni Burgundionum Præsidis Diui Bernardi opus, Andrautio Langeronij Domino obuênit: is locum circumuenire munitionibus iussus, quâ pietate fuit, librorum supellectilem, & sacra Diuorum ipsana comportari in vrbem minimè vetuit. Porrò Bacquium, quòd æquiori loco videretur, binis tradi

Tri-

Tribunis placuit. His nomen Achilli Longueuallio Manicampij & Gigalsio Bellifontij Dominis fuit, qui extemplò Mommelini fanum condendo ad ripam fluij castello delegerunt. Salpervvicum verò, qui pagus Bacquio aduersus obiacet, Legato Regis Hallierio, Blendeka demum Arkis proxima Equitum Magistro cessit. Cùm autem ij fossis, aggeribus & propugnaculis ea loca cingerent, Zillartij, Gassionij, Henrici denique Senerrij Firmitaris-Naberti Baronis partes fuerunt, Flandriæ agro longè lateque pecus omne abigere, sicque obsessos maioribus annonæ subsidiis intercludere. Tum certè primùm illud incommodi accidit, quòd qui Nouam-fossam tueri iussi agrestes fuerant, vix hostium conspectum sustinuère, singulis propè quàm quemque metus egit diffugientibus. Plurimum in eâ  
spei

spei erat, cùm is locus haud secùs ac vallum Flandriæ hosti obiiceretur. Pagis ergo & villis circumquaque ex itinere captis, Castellum Morinorum incolis destitutum pervenire. Fortè oppidani, cùm iam tutior aliena quàm sua sedes videretur, simul omnes excedentes pretiosam secum supellectilem exportarant. Cunctis præsidio firmatis, occupatisque itineribus, Baro Firmitatis ad Blendekam & porrectum circum agrorum æquor confedit.

Ceterum in vrbe, Senatus vtriusque ordinis, tametsi pridie litteras ab Ernesto Comite Isenburgico celeris auxiliij nuntias accepisset; idem tamen, Christophoro Francio Episcopo & Philippo Gilloquio Bertiniano Antistite in consilium adhibitis, decernit imploranda tantisper è vicinis Flandriæ oppidis auxilia; atque adeò Paulum Bernardum Fontanum Comitem,

42 IVL. CHIFFLET. AVDOMARVM  
tem, nuper ab Infante tormentis  
bellicis præesse iussum, certio-  
rem litteris de his omnibus faciendum,  
quæ ab hoste circum urbem gere-  
rentur.

Interea verò primùm omnium  
in id incumbere cœperunt, vt vici-  
nus annis, in planitiem vrbi obie-  
ctam deriuatus, hostilem accessum  
prohiberet: viam ergo fluuialibus  
aquis aperiendo, periculum eâ par-  
te fieri placuit, quâ castrum Ar-  
kense adiacet. Verùm cum eâ arte  
subducta publicis molis frumen-  
tariis aqua, maiori damno quàm  
commodo ciuibus cederet, abie-  
ctâ harum molitionum curâ, mili-  
tibus suas singulis stationes attri-  
buere consilium fuit. Lancelotus  
Grobendonckius Baro Wesema-  
lius, quòd illius multa magnaque  
virtutis & prudentiæ documenta  
essent, vt vniuerso militari præsi-  
dio imperaret, omnes cupiebant.  
Sed

Sed cùm is omnia sibi prosperè ac feliciter successura existimasset, si ex auctoritate Principis tam difficilem prouinciam suscepisset, Beruoetium tantisper Gallo-Belgicæ suæ legionis Pro-tribunum, iamque inde à Louanienfi obsidione, apud hostes celebrem, præsidio præfecit. Ceterùm exiguus militum numerus erat, ipsius nempe Wesemalij legio, eaque binis centuriis imminuta; cohortes deinde Hispanorum quatuor, quæ sub ipsam obsidionem aduerso flumine aduolauerant; iis præerant Artiaga, Gabriel Roldanus, & Ludouicus Legionensis, Centuriones: vnica quoque, eaque Anglica, è Guilelmi Tressamij legione sese eis adiunxerat. Accedebant iis ternæ Senatus, Vicecomitis Lirani & Brij cohortes; quarum prima centum quinquaginta, altera ducentos, tertia vicos capiebat.

Qui-

Quinæ dumtaxat equitum turmæ  
 recensabantur, sed quæ pro pabu-  
 lationis modo satis essent ad tute-  
 lam. Harum præfecti, & Germa-  
 ni quidem Nobiles, duo erant,  
 Winterfeltius Alberstadiensis, &  
 huius Optio Iacobus Andelawius  
 Albeda, perpetuâ & singulari gene-  
 ris sui dignitate, vnus è quatuor  
 Sacri Romani Imperij Militibus.  
 E Belgis verò, turmis præerant  
 Claudius-Lamoraldus Comes Fal-  
 quembergius, Lignæ Principis fra-  
 ter, Baro Brouckius è Nobili  
 Thienniorum gente, Haultius &  
 Antonius Becurtius, rebus omnes  
 totâ durante obsidione præclare  
 gestis inclyti. Porro paucitati subsi-  
 dio erant scientia & vsus militum,  
 quòd eorum plerique variis obsi-  
 dionibus exercitati, nec militiæ in-  
 solentes erant. Velut præsidarij  
 recenseri etiam poterant suburba-  
 ni agrestes Alcipontenses, qui tam-  
 quam

quam paci belloque nati, militiam  
& agriculturam exercent.

Ita hospitibus militi attributis,  
tempestiuo opere, eam externorum  
munimentorum partem, quæ iam  
antè ad portam Crucis alteramque  
Diui Saluatoris designata erat &  
tormentis obiiciebatur, perfici pla-  
cuit. Muruli erant in cubitum cur-  
uati, fossâ externâ cincti; & ab his  
apto passuum interuallo lorica pro-  
cliuis ad regendos iaculatores: ce-  
terùm eâ omnes arte & industriâ,  
vt hostium impetum non tardarent  
modò, sed frangerent. Aliæ portæ  
quæ ab hoste magis auersæ essent,  
post eas suo quoque ordine com-  
munitæ. Satis etiam tormentorum  
æneorum adiectum, dudum erectis  
machinarum suggestibus qui col-  
lium instar assurgunt, ad hostem  
procul arcendum: aggeres eiusmodi  
quinque omnino fuere, sed ex  
his ille maximè ob ingentem usum

æstima-

46 IUL CHIFFLET. AVDOMARVM  
æstimatus, qui *Sithiu*, aut Castel-  
lanorum colliculus appellatur; nem-  
pe à veteribus illis Audomaren-  
sium Præfectis, qui olim in sacris  
expeditionibus, in ipsum Orientem  
nominis sui famam circumtulère.

Urbis quidem conditio hæc erat  
inter spem metumque ad auxilium  
anhelantis. Ceterum Ferdinan-  
dus Hispaniarum Infans, certior  
factus Gallos vastatâ Atrebatium  
parte, rectâ Audomarum versus  
profectos, summam ibi votorum  
constituisse, nihil habuit antiquius,  
quàm vt eam urbem suo Deique  
in primis auxilio tutaretur. Quo-  
niam igitur propter varium hostem  
copiæ diuidendæ erant, consilio ha-  
bito, in tres partes secuit exercitum;  
primam sibi, quâ in Batauos iret,  
retinuit; alteri verò Andream Can-  
telmum fortissimum Ducem præ-  
fecit, vt is coactis in Wasiâ copijs  
ad subita belli excubaret. Porro



non ignarus quantum id negotij esset, quod Galli ad urbem Audomarensem facerent, Regiâ auctoritate, cuius personam ipse gerit, eò Franciscum-Thomam Sabaudum - Austriacum Carinianum Principem misit, rogatum ut quâ est animi magnitudine, eam capessere provinciam dignaretur; copiis interim illi attributis, quæ Winocibergæ primo quoque die cogerentur. Eo loco sævituram Gallorum procellam prævidebat, & secundum eam minimè dubitabat, quin, si eam urbem expugnassent, in ipsa Flandriæ viscera impunè grassarentur, quòd nullus aut mons aut flumen Atrebates à Flandris divideret.

Res ardua omnibus visa, perquam modicis copiis (ita enim euenire oportebat) iam haud dubiè communitis hostibus superuenire. Nulli tamen imperium magis placuit

cuit quàm ipsi Principi; qui cum ipso etiam vitæ periculo vrbis auxilium pollicebatur. Ergo quæ eius ductu imperioque gesta sunt, in conspectum dare, & sicut inter se cohærent, ita opere ipso coniungi, haud aptius paulò videri potest: quæ prælio apud Watenum præmissa sunt, ordiar dicere.

Princeps ad mediam fermè Kalendarum Iunij noctem Bruxellâ egressus, vt est mirâ in rebus molliendis efficiendisque velocitate, Poperingam peruenit: postero deinde die Winocibergam, vbi qui coibat exercitus, debebat occurrere. Eò namque iam antè conuenire iusserat Princeps Ioannem Comitem Nassauium Equitum Magistrum, Ernestum Comitem Isenburgicum Atrebatium Præfectum, Antonium Sanctium ab Auilâ & Toletto Marchionem Veladæ, aliosque rei militaris Præfectos. Con-  
 filio

filio ibi cum iis aliisque habito, Watenum, simul & Bacquij castellum fluuio à Gallis impositum, quamprimùm oppugnare constituunt. Non defuere qui alias auxiliorum vias suaderent, sentientes, oppugnationes, eiusmodi tempori planè alienas, cum præliis etiam secundis copiæ, quæ & modicæ erant, atterantur. Nihilominus tamen vicit priorum sententia, vel ideò maximè, quòd etiam tum idem castellum hostis muniebat, quò omnem auxiliij spem eà maximè parte nostris adimeret. Cùm hæc statuisset Princeps, tantisper binas legiones expectare necesse habuit; quarum altera erat Ioannis Augustini Spinolæ, quæ Duaco; altera Alfonso Perez Viueri Fonsaldanij Comitibus, quæ Cameraco aduentaret.

Interea ne fortè qui aduenissent, otio desides demitterent animos, Castellum copias misit, quæ hostem

50 IVL. CHIFFLET. AVDOMARVM  
primùm inde exigent. Verùm illi  
solâ famâ perterriti, ad eorum ad-  
uentus nuntium dilapsi sunt. Nico-  
lao Liquio deinde imperatum, vt  
cum expeditâ ducentorum equi-  
tum manu, peditum octoginta, Ar-  
deam inter & Audomarum conten-  
deret. Et is milite ad occupandum  
iter educto, positoque in insidiis,  
fudit vectorum annonæ castrensis  
integrum agmen; direptisque carris  
compluribus, & captâ simul cum  
Præfecto cohorte, pleraque armen-  
ta, quæ hostis è Flandriâ abegerat,  
reduxit.

Per idem quoque tempus, ipse-  
met Princeps constantiam oppida-  
norum, & militum fortitudinem,  
tempestivis admodum litteris con-  
firmavit. Adhæc imperio perquam  
solerti, novum in vrbe concilij ge-  
nus institui iussit: cui, præter Epi-  
scopum loci, alij viri præstantes  
adhiberentur, qui coirent quoties

in commune consulto opus foret. Præterea ut à custodiâ Bacquianæ stationis hostem nonnihil auerteret, Wesemalio imperauit, ut ipse sub idem tempus partem legionis educeret, valideque cum Bacquiano præsidio velitaretur, ut eam stationem oppugnanti sibi, rei benè gerendæ occasionem daret. Exin eadem de causâ Arienses & Croatæ iussi auersis hostium munimentis terrorem incutere, ut vndique vno tempore in hostes impetus fieret.

In vrbe interea versi in religionem animi, quæ & ipsa maximum bellantibus incitamentum est. Statuæ Virginis tot secundæ miraculis, à quibus & illi est nomen, eximius honor exhibitus, si vniquam. Tum sacra Diuorum Audomari, Bertini, Siluini, Erkembodonis, Folquini & Austraberthæ Lipsana multitudini exhibita, ut in iis velut

52 IVL. CHIFFLET. AVDOMARVM  
præsidibus, omnem suæ secundùm  
Deum Mariamque liberationis  
spem reponeret. Iis igitur, Chri-  
stophoro Francio, dignissimo tanto  
munere Episcopo, virisque sacris  
præeuntibus, vota pro salute civium  
suscepta. Primas inter eos dignita-  
te iuxta & apparatu tenuère Au-  
domarense Canonici: quippe ab  
his instituta ad Bertinianam ædem  
Supplicatio, non spectaculum ma-  
gis quàm inuitamentum pietatis  
fuit. Hos virorum & mulierum  
turba, & his pueri puellæque ad-  
mixtæ, vno velut agmine sequeban-  
tur. Multitudine templum ingres-  
sâ, Sacrum ab Episcopo solemni  
apparatu factum est; & sub ipsum,  
maiorum ritu, civium nomine ce-  
reus ingentis ponderis oblatus.  
Postero die eadem veneratione in-  
tegratâ, Bertiniana familia, variis  
distincta vestium sacrarum insi-  
gnibus, ad templum D. Audomari  
pro-

processit, parem Cælitibus, qui & ibi coluntur, honorem exhibitura.

Hoc ferè modo ad spem fiduciamque ciues erecti, non vanum sibi è cælo præsidium spondere incipiebant; cùm eodem die, nempe Iunij septimo, Princeps ne eos hactenus bono animo esse iussos morâ ultrâ falleret, adiunctis Fonsaldanij & Spinolæ copiis, ad auxilium iter intendit. Octo millia peditum, terna equitum, nec amplius sub signis erant. Ceterùm veterani omnes, vt vel sola principia castrorum Senatus priscae alicuius Reipublicae viderentur. Ita machinis decem adiectis viæ sese dederunt, omnes leuiter armati, nec iam magis itineri parati quàm prælio. Ergo vergente in occasum die procedere iussi, oriente luce Watenum dumtaxat peruenère: præaltæ fossæ pluribus locis obiectæ abruperant iter. Watenum, quod in conspectu erat,

Præfectura sacra est, firmo ædificio  
& editâ turre velut arce munita.  
Tum fortè centum quinque & vi-  
ginti Gallorum præsidio tenebatur,  
qui haud dubiè commeatus nostros  
prohibere, & pluribus aucti à tergo  
infesti esse poterant. Igitur in eo-  
rum obsidionem, Paulo Fanfanel-  
lo, cum Caroli Guasci legione, cui  
præerat, relicto, ipse Princeps cum  
ceteris occupare Bacquium festinat.  
Verùm qui ei præerant, cùm ex  
ignibus in summâ turre Watenensî  
collucentibus sese oppugnatum iri  
satis intellexissent, iam trium mil-  
lium præsidio & machinis duabus  
aucti, productis insuper aggeri-  
bus, aduentum nostrum securi  
præstolabantur. Id ipsum, præter-  
quam quòd aliunde compertum  
erat, haud obscurè etiam nostri  
coniecerunt, cùm ignes passim in  
hostium castris collucere visi, vt,  
nostris fortè Bacquium oppugnan-  
tibus,



tibus, mutuò sibi succurrerent.

Consiliis igitur aliò conuersis, Philippus Flandrius, Hammensis Præpositus, auctor fuit occupandi Nieurleti. Is, cuius in nomine bonum utique omen fuit, è D. Benedicti disciplinâ Sacerdos erat, idemque Bertiniani Cœnobij intra urbem alumnus: atque ut locorum in primis peritus erat, ob id ipsum in exercitu versabatur. Nieurletum verò villa est fluvio Agnionæ imposita, vnde alueum inter & paludem, per angustos veluti calles, auxiliares in urbem copiarum, aduerso verò flumine commeatus submitti poterant. Facile ratio tam salubris consilij accepta est, vbi maxime præmissus à Principe Comes Isenburgicus, locum ab hoste vacuum renuntiat. Ergo Princeps, agmine in plano consistere iussu, tormenta in editiori loco constituit, ipseque aciem ordinat in conspectu

hostium, interfluente solo flumine. Interea verò dum prima nostri exercitus acies hostilem, quæ intra teli iactum erat, de industriâ aggreditur; Spinola, qui cum suâ Germanorum legione claudebat agmen, Legatum Ioannem Antonium Barraquinum ad locum celeriter occupandum præmisit: qui mox pari strenuitate & diligentia usus, eo potitus est.

Res interim ad Watenum haud minus prospero euentu gesta. Fanfanellus, muro primùm quinque in locis quassato, non aream tantum & ædem, sed etiam terream molem iam ab hoste turri præstructam occupat. Hostes in cacumen turris euaserant, iam desperatâ Templi & areæ tutelâ, quidquid manibus fors daret ingerentes subeuntibus: sed præterquam quòd annonam in Æde reliquerant, incensis protinus portis, fumo perinde ac fistulis  
 appe-

appetiti, demum quia nihil præsidij mittebatur, deditionem eâ lege pacti sunt, vt incolumes ad stationem Castillonij deducerentur. Proinde datis obsidibus, Neufuillaus vnâ cum iis quibus præerat numero cxx. ad horam quintam vespertinam excessit; quibus turma è nostris quæ comitaretur adiuncta est: constat ex illis quinque omnino, quatuor è nostris interfectos; & inter hos ducem itineris, qui vnus maximè prælium accenderat. Fanfanellus tantisper arci, tantulo impendio occupatæ, quinquaginta militum præsidium imposuit.

Sub idem tempus, qui iter explorare iussus fuerat Depræus Centurio Principi renuntiavit, vltà à se duo circiter pedium millia, qui à tergo nostri exercitus Haskerkam tenderent. Galeus poëta Parisiensis, tunc ab eodem in eâ excursionè recens captus, idemque Wastonis

Aureliæ Ducis armiger, fidem mox fecit, eas esse copias quæ Watenensibus obsessis præsidio mitterentur. Itaque Princeps, ut vera esse comperit quæ referebantur, denas ex acie turmas subduxit, iisque trecentos è Guasci legione sclopentarios adiunxit; adhæc, ne fortè hostes eos circumuenirent, Franciscum Pardum, qui summus inter equites Mandatorum Curator erat, circumire tergum nostrorum iussit; cùm ecce alij ingentem prætereà Gallorum multitudinem conspectam asserebant. Commodùm redibant, qui Watenenses dedititios securo comitatu saluos vsque ad binas fortuitò occurrentes Gallorum legiones reduxerant. Præibat illis tympanotriba Gallus, redeuntibus ad fidei publicæ tutelam adiunctus. Is ergo à Principe interrogatus de illorum qui apparere dicebantur numero atque consiliis, primam dum-

dumtaxat aciem esse Castellonij respondit; pedites in eâ sex omnino millia, equites tria millia implere; nec dubitare se, quin ipse Castellonius cum vniuerso exercitu sequeretur, adiecit. Quæ quidem tametsi, vt leuis auctor, iactabat haud dubiè maiora vero; tamen veri subesse quidpiam existimatum est. Igitur Princeps accersere maiorem manum statuit (hostium quippe fraus maximè à tergo suspecta erat, quod ne incesserent tum plurimùm timebatur) ac primùm Ægidium Orosicum Proprefectura generalem exercitus Fanfanello coniungi, & cum integrâ Caroli Guasci legione præcedere iubet: hos ipse cum alterâ Fonsaldanij Comitum, & Ioanne Comite Nafauio terno equitum agmine stipato, secutus. His ita compositis, densatisque agminibus, improuisus Princeps hosti superuenit.

Planities spatiosa, in quâ firmo gradu restitans hostis, præter obiectam sepem, etiam sibi vehicula circumduxerat. Primum, quamquam haud amplius duo millia, paucitas tamen eorum vix clarè dignosci poterat. Binæ erant omnino legiones: quarum alteri præerat Carolus Runius, Fouquesolij Dominus, natione Picardus; alteri veteranæ quidem & ante annos viginti conscriptæ, Renatus Gouffierius Espagneij Dominus. His iuncti erant equites fermè quadraginta, paucique Ducis Aureliæ armigeri. Igitur, ut primum eò Guasci legio peruenit, acri impetu in eos inuecta est. protinus undique mota est pugna, Gallis haud segniter prælium capessentibus. Sed acrius quàm constantius pugnam iniere: nostris quippe sepes & vehicula superantibus, alteroque eorum Tribuno Fouquesolio, strenuo pariter

riter ac forti, interfecto; nullus eorum fuit qui congressum. vltra sustineret: quin illicò iactatis per metum armis, iam supplices vitam precati sunt. Confossò Duce, tanta eos desperatio incesserat, vt vix lacrymis abstinerent. Exin dum victoris arbitrium opperiantur, Fanfanello mandatum est, vt iam captiuorum preces ad Principem, qui propè in acie aberat, perferret. Huius certè moderationem clementiamque vel vna hæc res possit ostendere: non iis tantùm ignouit qui nuper aduenerant, sed eos perinde qui Wateno modò egressi, & vsque ad remotiorem Castillonij stationem ex pactis deducendi, deditionis fide violatâ sese his obuiis adiunxerant, vitâ donauit. Nostri propiùs inquirentes è captiuis, compariunt, eos vt Watenensibus succurrerent, missos, Nieurletumque à se, vt sperabant, occupandum.

Bacquo committerent. Ob id ipsum longè amplior fuit præda, quàm sperauerant nostri: namque annonam & vina & pernas ad longioris moræ subsidia portabant; adhæc vestium pretiosissimas, vasa argentea, ingentem denique pecuniæ signatæ summam, vt prædam magis quàm arma gestasse diceres. Certamen inde ortum inter equites peditesque Principis, vtris ea pecunia cederet, quæ ex captiuorum redemptione esset redigenda: equites quia desilientes equis pugnauerant, sui iuris esse censebant; pedites contrâ, qui & egregiam nauarant operam, ereptum sibi officium querebantur. Militarem iram, postquam consueta hostium in captiuis redimendis incuria exposita est, signum tubâ datum dirimit. Ita securum Principem felix euentus plenumque bonæ spei fecit: at copiis, maximè quæ in castris



castris remanserant, gratus iucundusque accidit, cum hunc captiuorum gregem, pecudum more, demisso in terram vultu à nostris agi conspexere.

Verum haudquaquam plenum gaudium fuit: tamen enim pauci è nostris, duodeni videlicet, interfecti erant, faucij verò non amplius quinque & viginti; agrè tamen Centuriones duos, eosque Italos, desiderari tulit exercitus. Horum alter fuit Felix de Iudice, strenuus & inueteratâ apud milites auctoritate: qui cum inter primores promtiùs dimicaret, glande traiectus interiit. Alter Comes Piccolomineus (Euandro erat nomen) qui in hoc impetu, primoque rerum suarum cursu ereptus est: in hunc maximè misericordia versa. Enimverò præterquam quòd eximio ætatis flore, iamque primo animi sui specimine ad Watenum edito,  
extin-

extinctum querebantur; idem quoque Octavij patruj sui, Præfecti Imperatorij exercitus, præcipua spes erat, & propemodùm vnica. Linquente animo defluens, à proximo quoque exceptus, medijs in castris in rhedâ Principis collocatus est. Inibi ab eo vitæ maculis apud vnum è Societate I E S V sacrâ Confessione absterfis, Regius Archiater continuò adfuit: Ioannes Iacobus Chiffletius parens meus is erat, à Serenissimo Infante Ferdinando datus Cariniano Principi obsequentissimus comes, & custos valetudinis. Nempe hunc præ ceteris adiungi sibi Princeps petierat, quòd anno superiori Wertæ de vitâ grauitè periclitantem saluti restituisset. Is igitur, explorato Euandri vulnere, cerebrum ipsum missili è chalybe figuræ quadrangulæ fauciatum comperit: at, pulsa venarum tentato, cum ne micare qui-

quidem deprehendisset, iamque extremas corporis partes vitalis calor reliquisset, deficere eum pronuntiat, & sacris expiatoriis celeriter muniendum. moxque æger oleo sacro delibutus vitâ excessit: Defuncti corpus Winocibergæ tantisper positum est, dum Bruxellæ in æde Minoritarum tumulum ei exstruant, in quem postea inferatur, omni vetustæ claritatis honore seruato.

Huius autem, quod propè miraculo abest, reportatæ victoriæ dies Dino Audomaro sacer erat; quem, quia in eam tempestatem incidit quâ flores maximè vernant, *Florum* vocant. Diei verò antiqua celebritas non à beato huius Diui obitu, qui in aliud anni tempus incurrit; sed à quodam vetusto eius miraculo originem habuit. Annos abhinc fortè octingentos, Hugonem, qui tum Cœnobio Diui Bertini

66 IVL. CHIFFLET. AVDOMARVM  
tini præerat, aliò transferendi sacra  
Audomari Lipsana cupido incesse-  
rat. Ergo vnà cum iis in Veroman-  
duos clàm proficiscitur: verùm  
stupendo miraculo sacrum Audo-  
mari corpus Lisburgi ( villæ id  
nomen ) vectorum manibus ne-  
quidquam molientibus, ingenti  
pondere substitit, donec Folquinus  
Morinorum Episcopus, festiuo ap-  
paratu, manantibusque præ gaudio  
lacrymis, in pristinum locum re-  
uexit. Huic haud dubiè vexilla vel-  
ut præcipuo victoriæ auctori debe-  
bantur, si qua Princeps ab hoste re-  
tulisset; sed hostes, quasi futuræ  
cladis præfago metu, sine iis, vt  
sæpè deinceps, processerant.

Neque vno in loco cædes ho-  
stium facta: Ariensibus quippe  
aliis aliò egressis, Fraiquinius Cen-  
turio, præter captiuos & pretiosam  
supellectilem, equorum gregem  
abegit, quantus ad centuriam suf-  
ficeret.

ficeret. Alibi Ludouicus Croatarum Legatus, in promptissimam hostium turmam incidit. Ea erat Gasparis Vicinij Vitenuallij Domini, gente Vadicassij, quæ populabunda stationem egrediebatur: igitur manibus illicò confertis captus Centurio fuit, & vinctus Ariam abductus. Is vt Castellonio ante omnes amicus, ita Calvinianâ labe infectus, & in eâ vsque adeò obstinatus erat, vt exinde paucis diebus, cùm ex vulnere animam ageret, quamuis Deo manum porrigente, in eodem tamen hæsitans luto, Catholicæ expiationis expers obstinatum spiritum proiecerit. Arienſes proinde indignum rati impij hominis cadauer religiosâ sepulturâ cohonestare, profano loco, nempe vrbs pomærio, condidère.

Quod ad auxilium attinet, iam in vesperam inclinabat dies, cùm Princeps, haud procul ab eo loco, quo

quo hostium binas legiones ceperat, castra communit. Collis erat molliter acclivis, quem magno nostrorum incommodo hostis insidere potuisset. Igitur sepibus ibi valloque circumductis, de submit-tendo in urbem auxilio agitatum. Barraquinus primùm Nieurleto sese in urbem proripuit, ut ciues de mittendis nauigiis, & palude fascibus hinc inde implendâ, admone-ret. Deinde fluuium quinis iungi pontibus placuit. His ita ordinatis, postquam nuntiare iussit Spinola nauigiorum aduentum, quibus annonâ & commeatus imponerentur, iamque cetera ad inchoandam pro-fectionem parata esse; Princeps edixit, ut delectæ ad præsidium copiæ præstò adessent. Mille omnino & quingenti milites erant, in cohortes vndeviginti distributi. In-ter eas ternæ è Toralti legione re-gensebantur, Anglorum octo, Gua-  
sci

sci duæ, Spinolæ septem, demum  
 vnica è legione Gallo-Belgica We-  
 semalij, Centurione Tailleyo, quæ  
 à Gallis Claro-marisco expulsa, in-  
 faustam Martis aleam præclare vl-  
 tura reuertebatur. Instructus hoc  
 pacto miles, quod benè verteret,  
 iter ingredi iussus est. At ecce hostis  
 consilium Principis haud obscure  
 intelligens, copias acciuit, quæ de-  
 structis pontibus militis nostri  
 transitum impedirent: iamque ad  
 pontem vnum peruenerant, cuius  
 Alexandro Rossino Tribunitiæ  
 cohortis Optioni, tutela permissa  
 erat; cùm per cæcæ noctis horro-  
 rem procubitor funiculos fistula-  
 rum accensos intuitus, ceteros ad-  
 uentantis periculi admonuit. Tum  
 verò Princeps ad omnia interritus,  
 Ducis & gregarij militis munia  
 explicuit: equo vectus vniuersum  
 simul exercitum stare in armis,  
 comneatusque & pedites, qui mo-  
 dicum

70 IVL. CHIFFLET. AVDOMARVM  
dicum processerant, consistere, mox-  
que frequentem eò confluere mili-  
tem iussit. Terruisset alium obdu-  
cta nox caelo, cum ferè ignotis  
callibus militi ingrediendum esset;  
sed, quod interdum frequentius est,  
fiduciam in sollicitudinem verti,  
nemo usquam notavit in Principe.  
Iam plures hostium, si perumpere  
aut retinere naues possent, conaban-  
tur, & eorum vnus aliquis proxi-  
mum sibi nauigium ferreâ manu  
apprehenderat; sed militum con-  
cursu & telis repulsi, hoc conatu  
desistere.

Postquam hostis huiusmodi spe  
excidit, digna visu deinceps fuit, ea  
quæ inita est mittendi auxiliij ratio.  
Dies appetebat, vt iam vicinus  
hostis ea omnia cerneret. Nempe  
Iacobo Albertanzonio duce, eo-  
dem Maiore Accenso, milites qua-  
dringenti, singuli purpureis chla-  
mydibus præibant; hos deinde re-  
liqui



liqui & nauigia sequebantur; & quod caput est, eodem habitu, explicatis per ludibrium vexillis, pulsatis consueto sono tympanis, pleno denique armorum apparatu introducti sunt.

Magno gaudio suppeticas exceperunt obsessi: è quibus cum plures obuiam nouis commilitonibus progredierentur, præ ceteris eos complectendi desiderio ardere visi Wesemalius ipse, qui Gallo Belgas è legione suâ conspicabatur, & Antonius Houffoyus Baudenghemij Dominus, Vicecomitis Lirani in vrbe Optio. Præfectis inde, aliisque qui aduenerant, hospitia intra urbem à Senatu attributa; suæque singulis stationes per externas munitiones à ministris rei militaris designatæ. Tum studere maximè, ut præsidio pro eâ quam præsentiebant diuturnitate, commeatus suppeteret, cœperunt. proinde singulis,

gulis, præter diurnum panem, feni quoque asses à Senatu pro stipendio decreti.

Carinianus, vbi nuntios de suppetiarum ingressu accepit, Ferdinandum Infantem totâ de re certiore[m] protinus fecit. Tum verò excitata hominum studia: nostrorum multi, quod augurabantur, depositis æris magni pignoribus, euenturum illac prosperè bellum contendebant: hostes contrâ, iam tum de temerariâ suorum fiduciâ solliciti erant: enimverò Castillonium iam quartum-decimum diem frustra ante Audomarum agere, alios Wateno eiectos, alios deinde captos cæsosque, demum in urbem missum esse validum præsidium: hoc ampliùs restare, vt quo Louanium Dolamque ludibrio deseruerant, Audomarensem perinde obsidionem soluerent. Plura huiusmodi addebant, nullo prohibere auso,



74 IUL. CHIFFLET. AVDOMARVM  
adiutam oportuisset. Perpendebat  
insuper, qualiscumque exitus Re-  
gis exercitum maneret, Castillo-  
niam sibi met prospera dumtaxat  
imputaturum: vnde & inter nobi-  
les, qui Forcium ob raram militiae  
prudentiam frequentiores seque-  
bantur, varij quoque animorum  
motus erant. Regi ergo se neuti-  
quam detrectare imperium rescri-  
psit, verum eam sibi esse honoris  
curam, vt nullo pacto susceptae à  
Castillonio obsidionis onus posset  
accipere: de cetero, quod obseruan-  
tissimum decet, transportandos in-  
tra obsidentium castra commeatus  
curaturum, caesurumque hostem  
quoties occasio se daret. Ita callidè  
cauit, ne in ipsius caput minùs pro-  
sperae obsidionis recideret euentus.  
Rex, iis auditis, siue vt moras rum-  
peret, siue quòd iure exposci vide-  
rentur, annuit.

Porro ne & ipsi Bataui in tanto  
rerum

rerum suarum discrimine quiescerent, Stradam Centurionem ad eos legauit, qui iure fœderis impensè hortaretur, vt quamprimùm de finibus suis cum copiis exeuntes, non iam diem ex die ducerent: tempus esse vt ab iis subleuantur Galli; præsertim cùm magnâ ex parte in eorum gratiam Audomarensem obsidionem suscepissent.

Vix dum Princeps Borburgum redierat, vt oram Flandricam tantisper à Batauis tueretur, dum auxilia Cæsarea appropinquarent, cùm aliò eorundem procellam desæuuisse perfertur. ij enim suam tum demum occasionem rati, cùm iam Galli prosequendâ obsidione Audomarensi nostros distinerent, classem, non quò spes erat, sed ad castella agri Wasienfis repentinò applicuere: nempe opinantes leue ipsis ad Antuerpiam negotium fore, si pauca, quæ ob-

D 1

stabant,

stabant, munimenta expugnassent.

Eodem fortè die, qui Iunij decimusquartus erat, Ferdinandus Hispaniarum Infans Antuerpiam ibat, necessariis ad belli vsum rebus comparandis: cùm ecce vt Willebrocum peruênit, castellum Calloëse citra moram illis fœdè traditum cognouit. Igitur dum ex finitimis locis valida auxilia concurrerent, Willebroci tantisper subsistere visum est. Hinc ad Carinianum Principem scripsit, ne quid arduum aut periculosum auderet, dum melior in Batavos fortuna succederet. Ceterùm, ob intimam cum Principe familiaritatem, sibi imperare non potuit, quin & eius etiam absentis sententiam exquireret, quid in eo discrimine commodissimum factu censeret. Itaque nullâ quiete nuntio permissâ, Princeps paucis rescripsit, ne eodem cursu quo præteritis annis fluxerant res ire patere-

tur:

tur: id vñum tutumque consilium fore fortiter iuxta & celeriter pugnandi; nec se vel honestius, vel vtilius, præsentis discriminis remedium nosse.

Exinde Gallos rapinis dumtaxat, pabulationibus populationibusque prohibere Princeps cœpit. Ita Borburgi paucos dies extrahere destinavit animo. Interea verò iusta defunctis ritè persolvit; & mox captiuorum conditione spectatâ, secerni à vulgo iussit, qui vel genere vel munere eminebant. Inter hos porò recensiti è Goufferij legione, præter ipsum Tribunum, Centuriones nouem; plerique natione Picardi, qui vicinæ vrbs obsidionem secundioribus animis acceperant. Horum nomina erant Plessisus, Montuallius, Courteuillius, Venduelius, Derondellius, Berminius, Velluyius, Frieuilius, Fayus, Bethisus Fretoyij Dominus, & Sougardius,

78 IVL. CHIFFLET. AVDOMARVM  
dius, qui tum è vulnere saucius de-  
cumbabat. E Fouquesolij legione,  
captiui dumtaxat cohortium Præ-  
fecti, Douillius, Carongius, Vaux-  
rouxius & Royennius fuêre. Præter  
eos quoque Nouauillæus, nempe  
qui Wateno excedens, prædictis se  
adiunxerat. Optiones ad quatuor  
& viginti, decem & nouem nomi-  
ne dumtaxat Vexilliferi, Accensi vn-  
decim, gregarij ad mille quingen-  
tos numerati; & ex iis alij aliò aman-  
dati. Quemdam Monachum è  
D. Benedicti disciplinâ, quòd alte-  
rius hostilis legionis Curio ca-  
strensis esset, cum ceteris etiam ab-  
ductum, mox Princeps liberum abi-  
re iussit, annitente pro eo maximè  
P. Guilielmo Buuetio è Societate  
IESV Principi à Confessionibus:  
quòd ante quadriennium, Patrem  
Augustinum Richardum Bruxel-  
lensem ex eâdem Societate, cum  
in castris ad salutem animorum  
versa-



versaretur in pari fortunâ, nobilis quidam Gallus benignè dimisisset.

Ceterùm, ne vel sic tantisper ciuibus deesse Princeps videretur, crebris eos litteris commonefecit, tum auxiliij appropinquantis, tum certi à se & Ferdinando Infante patrociniij, pollicebatur nihil sibi curæ futurum perinde atque eorum liberationem; magnam se habere spem, fore vt obsidionis angustias par quoque gloria sequeretur. Nihil tum magis opportunum erat ad erigendos propugnantium animos, quos pluribus locis appropinquans hostis mirè laceſſebat. Namque cùm antehac obsidionem magis quàm oppugnationem instituisse videretur, tum maximè munimenta, quæ in urbem contra oppidanorum eruptiones versa essent, perfecit; & iis munitis vineas agere, fossas ducere, & quæ ad oppugnandum vsui essent, comparare cœpit.

Loco acclivi, Molæ-exustæ nomen est, & qui ipso situ suggestum dabat, tormenta in urbem vertit, quæ eam ad Occidentem & Meridiem infestarent. In urbe contra ærarij vires inspectæ, sumtuumque nova inita ratio, pro eâ, quæ futura videbatur, auxiliorum morâ.

Ea tum erat Magistratum Senatorumque sedulitas, cum à Principe nonnulli superueniunt. Hi bellicarum molitionum strenui opifices erant; atque inter eos Bertrandus Prinçayus Lotharingus Architectonicæ militaris gnarus in paucis. Litteras à Principe tradidère Wesemalio, suam illi in militiam & externa urbis munimenta, quoad opus foret, potestatem impertientis; ut, quando muris incluserat se, & genium gentis maximeque legionis præfidiariæ nosset, eam provinciam capesseret. addebat, illius tum prudentiam, tum fortitudinem,

OBSESSVM ET LIBERATVM. SI  
nem, adeò omnibus exploratam, vt  
ex præteritis, & præsertim Loua-  
nienſi obſidione, futura facile  
coniiceret.

Wefemalius igitur, poſtquam  
iniunctum ſibi munus adminiſtra-  
re cœpit, varias in hoſtem oppor-  
tunasque eruptiones inſtituit: cete-  
rùm haudquaquam rudis tractandi  
militares animos; apud vrbis Ordi-  
nes anniti cœpit, ne fortè aliquando  
ſtipendia militi deficerent; & verò,  
quã illi fidelitate prudentiãque  
erant, facile impetrauit.

Per eos quoque dies dolo ho-  
ſtem agere, ſed anili, deprehenſum:  
tum quippe captam ferunt vetulam,  
quæ vrbis conditionem, quæque  
in eã gererentur, hoſtibus enun-  
tium ibat. Fortè cùm deprehenſa  
eſt, ab iis reuertebatur, litteras,  
ne quid eſſet ſuſpicionis, in ol-  
lã reportans. Itaque in eam, quo-  
niam venali fide fuerat, furcæ ſup-

plicio palàm animaduersum.

Princeps interea quietis impatientis, crebris iisque minutis velitationibus hostem laceſſebat: atque ut meditatus paratusque ad nouam expeditionem accederet, cogitabat per otium quæ deinde vsui forent, ne agendi tempus in cogitando consumeret; tum fortè illi suggestit animus, tantisper plures Gallorum fame & inopiâ extingui posse, quàm vllò amisissent prælio, si modò castella duo Caletum versus, itineri ad comneatum facilitatem ab hoste imposita occuparet. Itaque incredibili obsidentium damno, modico tamen suorum impendio, ea loca inuadere parabat Princeps: cum eodem fermè tempore nuntiatum, equites Croatas, quibus ad Watenum & Borburgum statiuæ erant, Ardeam inter & hostium castra, currus fermè quinquaginta comneatu onustos diripuisse: cumque

que nonnullos ex iis qui comitabantur, infectarentur ac cæderent, in eorum fortè manus Gallorum quempiam incidisse, qui magnis itineribus Lutetiam contendebat. Iacobo Rochetio, siue à Barris militari appellatione, erat ei nomen. Is ergo ad Principem perductus, epistolas aliquot à Castillonio scriptas tradere cogitur. quarum hæc erat sententia. Ad coniugem quidem, ne quid eam sollicitaret, scribebat, benè se habere omnia, quamprimum se ad Prædicationem processurum ( id nomen conuenticulis suis hæretici fecere ) ad implorandum auxilium magni illius exercituum Dei, cuius in manu corda Regum sunt: porrò eam inesse omnibus victoriæ fiduciam, vt iam nemo ambigeret, gloriosam eos lætamque reportaturos. Earum verò, quæ Francisco Subletio Nuceria-

tum Domino, Christianissimo Regi

84 IVL. CHIFFLET. AVDOMARVM  
à Secretis, destinabantur, summa  
hæc erat: Forciæ Marchionem  
prosperè aduenisse, atque in eius  
exercitu pedestres copias octo, e-  
questres duo millia implere; cete-  
rùm Bacquianam stationem iam à  
se illi assignatam ideò recusasse,  
quòd nullum eâ de re mandatum à  
Rege accepisset, proinde à se Ro-  
chetium de cognoscendâ Regis  
sententiâ Lutetiam missum. Adde-  
bat (quod è re nostrâ præcipuum  
fuit) peditum millia quatuor è For-  
cij copiis admodum sibi fore neces-  
saria. quo factò, ni aliud Regis im-  
perium esset, Forcius cum iis quæ  
superessent, Henuinium castellum,  
Rumingam (Abbatix id nomen)  
aliaque loca Ardeæ proxima occu-  
paret, ad maiorem supportandi com-  
meatus facilitatem. quoad eius fo-  
ret, die Martis proximo, Iunij se-  
cundo & vigesimo, obliquam in  
urbem viam effossum: de cetero  
frem

spem sibi esse, quantum ex urbis conditione liceret assequi, eâ breui temporis interuallo potiundi.

Hoc modo perlectæ litteræ, Principem ideò maximè lætum fecêre, quòd apud hostes non satis in commune consuli observasset: cumque & aliæ Castillonij ad ipsum Regem litteræ essent, tum ab summâ religione eas aperire noluit, tum quòd in iis nihil amplius quàm in aliis contineri prudenter existimaret. Præterquàm verò quòd ex iis consilium hostium didicit, ne & ipsæ frustra essent, sed ex iis lucrum faceret, eas observantiæ specie ad Forcium destinavit, significans ei, ab iis quæ ad Regem scriptæ essent, oculos pro merito abstinuisse; de alteris autem iisque apertis, mirari equidem tantum sibi tribuere Castillonium, vt ipsi Forcio quodammodò imperare non dubitaret. Hæc ad hostem: suos verò, celato earum

tenore, iter in posterum diem parare iussit.

Sub lucis ortum, instructo exercitu, Germanicâ Ioannis Renardi Rouuroij legione, quæ nuper aduenerat, adiunctâ, Rumingam occupare festinat. Cùm primùm eò peruenit, militem admonuit, ut dum ipse totam noctem hostis aduentum opperiretur, locum propugnaculis destinatum primo quoque tempore communiret. Castris interim æquiore loco positis, geminam instituit aciei frontem, quâ Castillonium Forciumque aspiceret. Lorica terrea primùm præstructa est: & huic ad mutuam protectionem variæ munitiones in Lunæ, ut vocant, formam adiectæ: tum collocandis machinis erecti colles quatuor: & quoniam locum illum fluvius alluebat, pontes quoque trans eum missi, ad maius tormentorum præsidium, quæ ibi relicta

erant.



erant. Sub idem tempus equestres hostium acies haud procul conspexerunt nostri: à Forcio veniebant locum potiùs occupaturæ, quàm vt specularentur cuius generis nostræ essent. Certè eas coniecisse qualis esset mens Principis, satis inde postea intellectum est, quòd Forcius Nouæ-moletrinæ castellum, paulò antè à se aduersus Henninium constructum validiori præsidio firmarit, & copiis, quæ visæ antè fuerant, decem turmas adiunxerit. Cùm autem Princeps sui securus nihil perinde atque hostilem aduentum expectaret, obseruata eorum cunctatio alacritatem nostrorum accendit: itaque impetu animorum vtendum ratus, ipsum Nouæ-moletrinæ castellum oppugnare statuit.

Copiæ per noctis silentium iter ingredi iussæ, primo diluculo quod Natalem D. Ioannis-Baptistæ efferebat,

rebat, eò perueniunt. Præerat iis  
Tribunus militaris Iosephus à Saa-  
uedra, qui & sexcentos è ternis Hi-  
spanorum legionibus ducebat: du-  
centi iis Hiberni, Ponello Legato  
duce, & par Germanorum nume-  
rus è Rouuroij legione adiunctus  
erat: porrò ex omni equitatu binæ  
turmæ dūntaxat: ceterà ob exper-  
tam fortitudinem multiplex quàm  
pro numero cuneus. Præter eos alij  
quidam fuere, qui & in hac obfi-  
dione egregiè operam suam colloca-  
rent: ex iis Oroscus fuit, copiarum  
idem Principis Legatus, exploratæ  
nuper virtutis & prudentiæ; Mar-  
quiſ munere Cornicularius, Prin-  
çayus Architectus militaris ex vrbe  
redux, & Carolus Curteuillius  
Hennuiniſ Præfectus, quem infe-  
ſti ſuis caſtelli vicina obſidio ex-  
ciuerat. Cum hiſ machinæ quo-  
que quatuor ſequebantur, præ-  
eunte Ioanne Doritio ſummi tor-  
men-

mentorū Præfecti Optione.

Saavedra Bartholomæum Delrio & Iosephum Rico longiùs progressos, si omnia tuta viderentur, ad se explorata referre iussit: cumque satis speculati, locum obsidioni idoneum fore renuntiassent, Dori- tius Adriani Franquij Centurionis ope, machinas hinc inde aggeribus imposuit. Tum Didacus Boor- quius, qui primus è legione Vela- dæ Centurio inter Hispanos agmen ducebat, vallum in maiori aggere aperuit. At in minori, dignum visu Germanorum cum illis certamen fuit, vtri celerius muros terreos ad protectionem erigendos perficerent. Ita ergo pro se quisque alibi instare iussus, Hibernis prædia sal- tuti proxima insidentibus. Operi- bus perfectis, conuocati Duces co- piarum qui tum aderant, tympanistem præmisere, qui denuntiaret obsessis, ni dederent, ipsos vltima esse

90 IUL. CHIFFLET. AVDOMARVM  
esse passuros. Verùm nihil inde re-  
tulit præter voces ad ludibrium con-  
tumeliamque formatas. Quocircà  
Princeps potiundi loci desiderio  
accensus, ad ipsum aggerem medio  
Hennuinij & munimenti obsessi  
itinere peruenit. Hinc, quò acriùs  
oppugnarent nostri, Thomâ Bira-  
guio Vischæ Comite internuntio  
significare cœpit, in quo discrimi-  
ne ipsi essent, ni maturè etiam ci-  
tra vllam muri ruinam loco poti-  
rentur: sese intellexisse, Forcium  
cum toto exercitu celeritate quantâ  
posset, ad ferendam suis opem con-  
tendere: par esse, vt priusquam auxi-  
lia aduenirent, dignum aliquid no-  
bilitate ac moribus suis ederent.

Hisce intellectis, Dominicum  
Burgium & Modorram propiùs ad  
ipsam munimenti fossam Saavedra  
progredi iussit. Hic è propriâ, ille  
è Veladæ legione Accensus erat:  
singulis quadragenos milites, eos-  
que

que fistulis instructos attribuit: deinde Centuriones binos, Didacum Boorquium & Matthæum Torrium, eodem cum sarissophoris misit. cumque eò tormentorum suggestus, qui à tergo erat, beneficio peruenissent; vnus alteriusve machinæ fragor pro signo omnibus fuit, vt nullâ morâ simul omnes irrumperent. Igitur quotquot aderant, nihil vel armorum grauitatem morati, vel aquæ altitudinem, quæ pectora æquabat, illicò in fossam semetipsi immittentes, locum citra damnum occupant. vltimam hosti pestem tormentis subrutus anguli murus attulerat, per cuius labem miles intrauit. Quia verò hostes contemptim & superbè impetum expectauerant, plerique trucidati sunt, nonnulli verò eorum merfi, qui incertam fugâ salutem aucupati, in obiectam fossam se dedere præcipientes. Demum è cen-

rum

92 IVL CHIFFLET. AVDOMARVM  
rum & viginti qui locum obtine-  
bant, seni dumtaxat victorum arbi-  
trio fuere subducti: Reyus videli-  
cet, Centurio is erat, & cum eo  
gregarij quatuor, & nescio quis  
adolescens, cui per ætatis mise-  
rationem, Mondragonius nobilis  
Subalpinus, & purpuratus Princi-  
pis, ignovit.

Quoniam verò idem ille dies  
Natalis Christi prænantij celebri-  
tate insignis erat, castello deinceps  
D. Ioannis nomen inditum est.  
Non defuere qui crederent, & fa-  
cilis coniectura fuit, Deum in pri-  
mis nostris adfuisse, quòd plerique  
piaculis in procinctu absterfis, vel sic  
contemtâ morte ferociores, in mu-  
nitos superbosque hostes rapti es-  
sent. Ceterùm castello Ioannes à  
Sancto Nicolao Rouurol Legatus,  
trecentis in præsidium datis, præpo-  
situs est. Inter Hispanos, quorum  
virtus vt ceterorum fuit singularis,  
magni-

magnitudine animi ferunt eminuiffe Didacum Boorquium Centurionem. Is obuium loci Præfectum (cognomen illi à Sancto Laurentio fuit) gladio confodit, vt ante ipsum exanimis procumberet. Par propè honor Sebastiani Hocetæ Centurionis fuit, & cum eo Iosephi Rico, quòd primi in ripam egressi loricâ muri apertâ in castellum penetrarint. Tradunt hunc vltimum vitam Reyo Centurioni condonasse. Proximi ab iis Ioannes Garcia Legatus, & Bartholomæus Delrio Cornicularius, fuère. Medio dumtaxat horæ quadrante victoria stetit; & impendio ita tenui, vt non plures vicenis vulnus acceperint. Ex iis fuit Adrianus Franquius, Præfectus eorum militum, quibus limbis per Belgium impositis, nulla inter hostes salutis aut redemptionis spes est; vulgus eos *Bootsgefellen* appellat. Buttelarium quo-

quoque Centurionem, quidam capriuorum quem ipse ceperat, sese subripere parans vulnerauit. Denique Didacus Fresnius, vnus ex nobilibus maiorum tormentorum præfidiariis saucius inde reuersus est: ceteros Princeps, eosque gregarios, Borburgum misit; vbi in ædibus Regio nomine saucio militi destinatis, omni ope fouerentur.

Faustus idem & fortunatus dies Nassauio fuit. Is Regio equitatu, binisque peditum millibus stipatus, Forcium id tempus morabatur; minutis præliis, & paræ rei discrimine, magnæ operiens euentum. Fortè Croatas castris egredi iusserat, vt more suo excurrerent, cùm alibi pabulatores sine vllò timore dissipatos aggressi, quàm maximum iumentorum numerum intercipiunt; alibi ducenta quoque vehicula cibariis onusta, & quæ hostem versus tendebant, auerunt.

Porro



Porro Forcius vbi nuntios de  
 aduersâ suorum fortunâ accepit,  
 iamque nostros inde victores rece-  
 dere, trecentis qui præessent reli-  
 ctis; Sperliacum ipse retrò conces-  
 sit. Ibi ne famâ ex eo laboraret in  
 posterum, si à dicto Nouæ-mole-  
 trinæ castello, ipso quodammodò  
 teste expugnato, spem omnem abii-  
 ceret, validâ manu idem recupera-  
 re statuit. Itaque postero die, quò  
 maior esset nostrorum malè secura  
 fiducia, copias suas iter à proposito  
 diuersum ingredi iubet: Caletum  
 nempe, velut obuiam commeatui,  
 petebant. Verùm Princeps, qui  
 commeatus ita crebrò supporta-  
 ri haud crederet, rem eam exi-  
 stimavit, sicut plerasque belli, va-  
 nam & inanem. Et ecce Forcius,  
 conuersis repentè castris, horam  
 diei circiter nonam in conspectum  
 castelli peruenit. Præter copias  
 quas è Galliâ secum aduexerat,  
 tres

96 IUL. CHIFFLET. AVDOMARVM  
tres etiam Castellonij legiones cum  
in itinere exceperant, vt facilè nu-  
merus duodecim millium recense-  
retur equitum peditumque: ad hæc  
ingens, vt crediderat; nostris ter-  
ror, tormenta nouem sequebantur.

Hoc modo instructus exercitus  
ac perarmatus, eadem, quæ pridie  
nostri ad oppugnationem loca  
occupauerant, insedit. Primùm  
promptissimi quique iuuenum pe-  
riculi omnis immemores, strictis  
gladiis ad ipsam fossæ crepidinem  
excurrunt, iam sibi certam fore  
Germanorum deditioem pollicen-  
tes; de quibus Forcius nimium de  
victoriâ præfidens, liberum iis vitæ  
ac necis arbitrium permiserat. Sed  
festiuum fuit, Germanos eminus  
intueri, fistularum longioris tubi  
creberrimâ grandine Gallum inua-  
dentem excipientes. Certè quidem  
felici casu paulò antè insperatis  
suppetiis auxerat eos diuina prou-  
dentia,

dentia, quæ & fortuita ad bonos  
 euentus plerumque dirigit: nam-  
 que Forcius vnâ cum exercitu pœ-  
 nê in oculis erat, cùm ecce Germa-  
 ni præfidiarij pro more stationum  
 vices mutabant, trecentis in castel-  
 lum recenter inductis, fortè educto  
 pari eorum numero, qui se ad com-  
 munia castra reciperet. Egressi exter-  
 num aggerem iam insidebant ca-  
 stello proximum, & inde ad exer-  
 citum redire incœptabant; cùm  
 subitò hostem superuenientem emi-  
 nus conspiciantur, sicque properè  
 in munimenta, vnde prodibant,  
 regressi, duplicato præter spem  
 castelli præsidio, hætere & pugnare  
 coacti sunt.

Atrox in hoc primo ardore certa-  
 men fuit: Germani quippe repeti-  
 tos hostium impetus eo tantisper  
 animo præclarè sustinuère, dum iis  
 adhuc præliantibus Franciscus To-  
 saltus opem laturus tempori adue-

E

niret.

98 IUL. CHIFFLET. AVDOMARVM  
niret. Hunc Princeps, periculi suo-  
rum non immemor, cum ducentis  
è legione ipsius, & ex vnaquaque  
ceterarum delectis centum militi-  
bus, præmiserat. Ut primùm verò  
Toraltus eò peruenit, nullâ quiete  
militi permissâ, hostem ab oppu-  
gnatione nostrorum auertere insti-  
tuit; Centurionesque duos, Ioannem  
Bufalinum & Onufrium Carac-  
ciolum, subuenire obsessis mandat.

Hoc ferè modo Gallos ipsos ob-  
sidentes nostri obsidere cœperunt,  
atque agmine bipertito diuisi ab  
vtroque latere, in Germanos pro-  
pugnatores intentorum ilia suffo-  
dère. Neque verò eo loco aduersa  
hostium fortuna substittit: nam-  
que Itali aliique, mox Galli rece-  
dentis perpetuum aggerem occu-  
parunt, quâ ad eius tutelam mu-  
tuam aut receptum scissus apertus-  
que erat. Ab Italis deinde aliæ  
quoque superuenère legiones, no-  
bile

bile hostium clade castellum factu-  
 ræ. Has Petrus Gotera, summo-  
 rum exercitus Optionum alter, du-  
 cebat. Ergo iis, partim loca antè oc-  
 cupata obtinere, partim noua occu-  
 pare, imperatum. Ipsemet Princeps,  
 Sole in meridiem erecto, eodem  
 itinere quo milites ad castellum  
 venerant, ad eos contendit. Vbi  
 autem eò peruenit, moles duas ad  
 collocandas machinas, in aggere  
 alteram, alteram in palude, iussit  
 erigi: cumque ex his in frontem &  
 latera obsidentium die toto nostri  
 iacularentur, fluctuare tandem ani-  
 mo Forcius cœpit, & initum con-  
 silium serâ æstimatione perpende-  
 re: quippe iam eò ventum erat,  
 vnde recipi exercitus nisi victor,  
 aut sine clade non posset. Itaque  
 cum nulla fermè spes potiundi loci  
 offerretur; tamen vltimi dedecoris  
 indignitate commotus, perseuerare  
 in obsidione statuit, obuersis inde

in machinis castello perinde & auxilio infestus. Tunc Melchior Roblius Signifer globo maiore ictus cecidit. Accensâ deinceps pugna, pari animorum pertinaciâ ad octavam vespertinam dimicatum est.

Non pridie fœdior strages: quippe quantum sanguinis fufum sit, vel ex eo potest existimari, quòd hostes è suorum cadaveribus pro cespitate loricas sibi struxerint, aliis super alios aggestis, & modicâ terrâ coopertis. Tandem vltimum discrimen eis attulit animorum consternatio: siquidem eorum plurimi, quâ cuique patuit ad fugam via, erumpere, & sic turbare ordines. cœperunt. Præfecti strictis gladiis agmina sua interequitantes, fœdè fugientium terga confodiebant. Sed hi, spreto imperio etiam cruento, sisti non poterant. Institère fugientibus Hispani, plerisque aliis terrosos etiam vrgentibus; ac, nisi Princeps

ceps vetuisset, in vicinum vsque sal-  
tum secururis. Ergo signo receptui  
dato, ne Santanderij stationem ex-  
cederent, imperatum; paucosque  
in eorum vicem scelopetarios mitti  
placuit, qui pauidis & fugientibus  
metum auerent.

Adfirmarunt seniores multâ tri-  
ginta & ampliùs annorum militiâ,  
numquam vel acriùs vel maiori  
animo dimicatum. Equitatus, quo-  
niam locus ita poscebat, pro pede-  
stri acie fuit; & ab eo cum ceteris,  
Nassauio præeunte, egregiè de-  
certatum.

Neapolitanus quidam Toralti mi-  
les, è cohorte Ianuarij Boncorij  
Decurio, digna spectaculo edidit:  
Bargaglio vulgò dicebatur, at ge-  
nuinum illi Thomæ Rouo cogno-  
men fuit. Is postquam triginta occi-  
derat, temerarium atque inane faci-  
nus ausus, repentiè hostili fistulâ ap-  
petitus occubuit, dum curiositate

102 IVL. CHIFFLET. AVDOMARVM  
intempestiuâ ultimæ sclopo suo  
eiaculatæ glandis successum obser-  
naturus, opportunum vulneri caput  
attollit.

Par quoque Dominici Sardij Ac-  
censi decus fuit: iam binos aggeres  
summâ laude ab hoste receperat,  
cùm, Centurione dissuadente, ter-  
tium aggressus, vitam ibi, sed glo-  
riosam finiit.

Ipsemet Princeps, qui in bello  
Italico, Carolo-Emanuele parente  
suo adhuc superstite, compluribus  
iisque celeberrimis interfuerat præ-  
liis, fidem mox fecit, nullum um-  
quam adeò obstinatum & pertinax  
vidisse. Ipse etiam agmina interequi-  
tans, manifestum periculum diui-  
nâ utique euasit ope: quippe glo-  
bus ferreus instar humani capi-  
tis, æneo tormento ab hoste excuf-  
sus, deiecto eo qui iuxta eum erat,  
nihil omnino ipsum læsit. Ita ex-  
traordinario periculo defunctus,  
inco-



incolumes suos reduxit in castra.

Æneatores hostium, qui redimendis captiuis in castra Principis ventitabant, suorum cædem ad non-gentos æstimatam retulère; atque inter eos Centuriones decem, Nobiles ad octoginta desideratos.

In exercitu Principis, ex tabulis in quibus accuratè ratio confecta est, qui cæsum sauciorumve numerus esset; illi fermè ad centum, gregarij omnes, Sardo & Bargaglio exceptis, numerati sunt. E paucis qui vulnus acceperant, Centuriones bini Caracciolus & Bufalinus fuère. Castello verò iam eâ hostium cæde inclyto, Germanos, qui idem antè obtinebant, præsidio Princeps reliquit. Porrò Prinçayus illius iussu singula singulis castelli angulis propugnacula, & parem excipiendis citra noxam decumanarum machinarum globis spissitudinem adiecit; demum lorica, quæ

obiectam fossam obibat, sudium  
sepem pinnis supernè acumina-  
tis præfixit, ne quis varicando  
transiret.

Extemplò litteræ ad Wesemalium  
missæ, vnusque omnium nomine  
iussus nuntiare quæ vidisset. Per  
eum quoque hortabatur Princeps,  
vt obsessi pristinam virtutem retine-  
rent; recipiebatque subsidia breuâ  
abs se aduentura. Hæc nuntius ocu-  
lis comperta referebat; sed & eum  
narrare iussit Princeps victoriam  
illam, quam sub eadem tempora  
Ferdinandus Hispaniarum Infans  
ad Calloum reportarat: cuius ea  
magnitudo esset, vt vix parem Bel-  
gæ de Batavis vnquam peperissent.  
quocircâ meritò decernendam Sup-  
plicationem, exstruendos ignes, &  
effusum vrbs gaudium, fistularum  
simul & maiorum machinarum  
displosione significandum.

Tum verò miri sapientum &  
mul-

multitudinis sermones fuere ; scilicet Ferdinandum & Carinianum Batauo Galloque in aquis & paludibus paruis admodum copiis cæso, modò ostendisse, quadam antehac temporum iniquitate creuisse hostium famam.

Sed & illud ad mutuam nuntij ciuiumque lætitiã accessit, quod per eos dies contigisse in vrbe traditum, ac Principi postea narratum est. Cùm iam moræ impatiens Castillonius ad solita obsessorum ter-riculamenta confugeret, tormentorum hostilium ictus sexcenti interdum vno die numerabantur : quorum plerique non sine damno in ædes foro proximas, adeoque in Templum Diuæ Aldegundis eiusque turrin recidebant. solum Virginis Matris, cui à Miraculis nomen, sacellum frustra haud sine admiratione impetitum erat : & cùm ciues eò velut ad certissimum

106 IVL. CHIFFLET: AVDOMARVM  
malorum leuamentum accurrerent;  
fortè in eo, die Iunij decimonono,  
mira res accidit.

Is dies, utpote Sacelli anniver-  
sariæ dedicationi sacer, loci de mo-  
re auxerat celebritatem. Virgines  
Deo peculiari cultu deuotæ, more  
per vniuersum fermè Belgium tra-  
dito, loci & aræ in primis exornan-  
dæ curam susceperant. Atque vt eo  
potissimùm die, externo Virginis  
cultu, internum pariter promoue-  
rent; florum fasciculos artificiosè  
composuerant, eosque vt formâ  
pulcherrimos, ita numero pluri-  
mos. Non defuere lilia, quæ ema-  
culatâ suâ venustate, tum Virginis  
tum offerentium puritatem refer-  
rent. Cùm ecce, siue illud Dei  
munus, siue casus fuit, qui sup-  
plices eò confugerant, notauerunt,  
relictis suo cuique loco floribus,  
projecta eaque sola in terram lilia.  
Igitur haud paucis ad spectaculum  
excita-

excitatis, primò multa inter se ( vt est admirantium mos ) sciscitari, inde omnes pariter id quod erat coniectare cœperunt, ibi aliquid esse Diuini: lilia vt mysticum puritatis, ita gentilitium Gallorum Regum symbolum esse: nullam spirare auram, vnde extrinsecus impelli, aut etiam nutare potuissent: proinde par esse credere, id à Virgine eâ mente factum, quò locupletius esset infensi ipsius in hostes animi testimonium. Et verò, paucis antè diebus, captiuorum quispiam adeò proiectæ audaciæ fuerat, vt sacrum hunc locum à suis prostibulo destinatum assereret. Adeò impias & impuras mentes vefana libido excæcat!

Ciues ergo, vt præceptum erat, struxêre passim in vrbe ignes: quos cum hostes ægrè tulissent, inter eos militesque nostros, qui externa munimenta obtinebant, orta iurgandi

licentia se repente vulgavit. Illi civium dementiam ridebant, quod effossis in urbem viis iam propè coherentibus, de remotis victoriis intempestivè lærarentur: gaudia ab iis planè debere esse aliena, cum ipsi haud aliàs maiorem glandium vim, quàm per hos dies in vrbe sensissent. Præfidiarij contrà nuper hostium ludibria memorabant, perinde quasi illuc etiam aduenissent, ut priora novis recentibusque cumularent. Ita mutuus eorum iocus erat; cum tamen interea neutrâ ex parte ab oppugnatione quies esset: nam præter ea quæ antè ad Molletrinam-exustam tormenta hostes collocauerant, binos quoque machinarum suggestus ad Nardensem villam, Divique Michaëlis collem, erexere. Ceterùm in aperiendis ligone semitis ita progressi erant, ut à muris solo iactus lapidis intervallo abessent.

Ob

Ob id ipsum præfidiarij, qui antè omnibus portis in hostem incurrerant, binas ex iis, Ariensem nempe, quæque à Cruce appellatur, occlusere, transmissio duntaxat ponte, quo miles ad suburbana Crucis Diuique Ignatii munimenta sese conferret. Turmas quoque, quæ antè quotidianis ferè præliis cum hoste contenderant, reuocare in urbem ex usu fuit. Sic periculum Wesemalius dissimulabat magis quàm spernebat, protrahendæ ad auxilium opperendum moræ intentus,

Sed nec intra urbem meliori loco res erant, in quâ iam propè aruerat stipendiorum vena. Anxij urbis Ordines, ærario deinceps mederi conati sunt: deque nummis inter eos, ut in obsidione assolet, ære argentoque conflandis variè agitatum. tamen, ut alia potiùs quàm extrema adhibenda remedia sunt, id subsi-

dij genus differre placuit, Markemburgio nobili tantisper ad Principem destinato, qui commemorandæ publicæ calamitatis ergo eum adiret.

Hostis interea iam in externa urbis ad portam Crucis munimenta signa inferebat: & quamvis qui discrimen tentabant, à nostris repellebantur, novos tamen propugnatores identidem fessis succedentes atterebat indefessus labor. Proinde maior erat fauciorum numerus, quam ut vllum urbis nosocomium satis esset. Ob id, Senatus Antistitem Bertinianum rogavit de certo loco ad curandos milites attribuendo: Virgines duæ ex tertiâ Diui Francisci disciplinâ, pro more gentis, iis tum præfectæ sunt, quæ prudentes iuxta piæque eximiam eorum curam haberent. Verùm, ubi crevit ægrorum numerus, quando præter prædiarium militem,



tem , etiam ij qui in exercitu Principis vulnus acceperant , intra mœnia deportati sunt ; Bertiniana domus non iam Cœnobium , sed nosocomium facta est. Tum verò Præful , quâ pietate erat , non triclinium tantùm , sed etiam ternos è familiâ suâ probitatis ac virtutis expertæ viros concessit , qui , ceteris etiam in commune consulentibus , ægros ipsi omni obsequio refouerent.

Per hos dies , Virgo Dei ac nostra parens , maternâ suâ ope , Hispanum quemdam vltimo exitio subduxit. Fortè in munimentis impetum hostium sustinebat , cùm ferreus globus decumano tormento excussus eum impetijt. Sed mox velut ad miraculum dumtaxat missus , milite bis terve in gyrum acto , in terram defluxit , nullo planè relicto impetus vestigio. Quocircâ prehensum ante pedes globum sustulit miles , atque intra mœnia ad

Patres

Patres Carmelitanos, nouam Diuæ Teresiæ disciplinam sequentes, portauit, instrumentum mortis in trophæum versurus. Inibi ante aram Virginis Matris procubuit, felicissimum tanti miraculi euentum vitæque conseruationem eius tutelæ adscribens, Cœnobitis, piis utique testibus, ingenti gaudio perfusis, quòd non ipsi tantum, vt antehac, sed etiam Cælites curam salutis alienæ palàm susciperent.

Sed vt in homines, in ædes quoque, easque sacras, hostes grassabantur: & perinde quasi fœda illa hæreticorum colluuiæ, supra ceteros magni Ignatij filiis infesta esset, in Templum Societatis IESV sæuiebant. Quidam in eo ex more ad populum dicebat, cum olla incendiaria (bombam à crepitu appellant) sine damno multitudinem terruit. Alibi Templum Diuæ Aldegundis triste ciuibus spectaculum præ-

præbuit. quippe quos globos è colle Diui Michaëlis in munimenta portæ sanctæ Crucis immittebant, suggestus altioris vitio, in Templi frontem velut scopum ferebantur. Quin & longiùs cæca hostium rabies processit. Ex prisco totius Ecclesiæ ritu sub ipsum chori, vt vocant, seu loci sanctioris aditum, Christus in Cruce conspiciebatur. Frontispicio Templi aduersa erat facies, vt ruinam muro faciente, ipsum quoque penetrabile, adeoque imago peteretur. Ab his igitur Christi morientis imago crebris ictibus scedè lacerata, amputatis membris tandem afflicta est. Sola Crux, vt in eo quoque Signo vincerent ciues, loco suo integra & illæsa permansit.

Post admissa eiusmodi in Deum ipsum facinora, speratæ nuntius vindictæ adfuit. is fuit prædictus ad Principem nuntius Markemburgius,

114 IYL. CHIFFLET. AVDOMARVM  
burgius, qui ab eo rediens, litteris  
ad Tribunum Wesemalium scri-  
ptis fidem mox fecit, Octaviū  
Comitem Piccolomineum Arne-  
wicū peruenisse: prætereā maxi-  
mam ab ipso Principe libertatis  
breuī recipiendæ spem oblatam;  
cū nempe hostem cædere vix de-  
sineret, nouam mittendi auxiliij ra-  
tionem summo studio parare insti-  
tuisse, & quam ne ipsi quidem ciues  
facilè crederent.

Quidam nauticarum rerum vsu  
præstantes Principi auctores fue-  
rant, vt quo loco terni Agnionæ  
aluei in arctius coëunt, & vicinis  
quique alueis fluere incipiunt, ex  
cliuo Rumingani nemoris ad val-  
lem Watenensē ducto aggere co-  
hiberentur: fore vt hoc modo, quid-  
quid iidem facto superius aqua-  
rum diuortio continent, restagna-  
ret, proindeque suppetiæ nauigiis  
in urbem submitti possent. Adhæc,  
in

in ipsis aquis fluctuantia duo machinarum pegmata erigi posse, quæ & ad mittendum in urbem com meatum, & proximas quasque munitiones expugnandas, plurimum prodesse. Nihil unquam fermè quidquam Principi gratius accidit; qui tum maximè ob diuturnam Piccolominei ad Calloum moram anxius, somnum pati aut quietem non poterat. Cùm autem in eo fermè positam victoriam arbitraretur, si saltem in dies aliquot de sulphureo pulvere obsessis prospiceret; peritissimos quosque eorum locorum frequentes adesse, quidve sentirent expromere iubet: iis autem vnã hanc sententiam salubrem existimantibus, illicò finitimo cuique oppido naues imperavit; ternis rei nauticæ Præfectis, sociisque Dunkerkâ accitis: vnde & senæ machinæ Fontani Marchionis curâ aduectæ: adhæc, ab eodem pecuniæ sum-

summa, quæ tantis molitionibus pareffet, collata: arma denique singulis distributa, quæ vel ad rumpenda hostium opera, vel ad humum in medio amne aggerendam iusta viderentur.

His procuratis, ut susceptum opus citra vllum ab hoste incommodum perageretur, Guasci legionem Watenum acciri placuit; & hinc Henricus Gagus legionis Anglicæ Tribunus, qui ibi hactenus egerat, insulam destinato aggeri vicinam obtinere iussus est: ut sic, dum Itali Guascanæ legionis, Ædem moletrinamque Watenensem communirent, ipse vnà cum binis Gallo-belgarum cohortibus, & nonnullis Guilielmi Tressamij militibus securitati aggeris intentus esset.

Ad v. Kalendas Iulij, dies operi à Principe dictus est: quo in aduersam fluminis ripam Spinolæ miles expositus, ibi munimentum minus

construxit, quod Forcij inde haud  
 procul Sperliaci agentis concursa-  
 tiones impediret. Princeps interim  
 pluteos in fluuio erigi iubet. id por-  
 rò genus operis Laurentius Ludo-  
 uicus ipse auctor domo Dunker-  
 kanus procurauit. Plutei autem  
 facti & armati ad hunc modum  
 erant. Transtra ex ingentibus tra-  
 bibus simul compactis ad mutuam  
 decussationem configebantur: ad-  
 hæc pars eorum superior egregiè  
 contabulata & bitumine interlita  
 erat. Porrò hæc moles, quòd senis  
 machinis circumuehendis destina-  
 tæ essent, nouem pedes in altitudi-  
 nem, quatuor & viginti in latitudi-  
 nem capiebant: & quò securiùs in  
 iis vectores agerent, loricis circum-  
 cinctæ erant, quæ tela ex aduerso  
 ingesta exciperent.

Rebus hoc modo constitutis, è  
 naturali alueo manare amnis cœpit:  
 sed vtique lentiùs quàm Principis  
 alio-

118 IVL. CHIFFLET. AVDOMARVM  
aliorumve spes esset, quoniam cir-  
cumiecta prædia tardiùs paulò na-  
uium potentia fuère. Causa fuisse  
traditur cæli æstus vehementior,  
qui humorem agrorum ab amnis  
paludumque viciniâ madescere so-  
litorum arefecerat: vnde vacuas il-  
lius venas restagnans aqua subire  
priùs atque implere debuit. Verùm  
tandem mensis dies ferè septimus  
agebatur, cum hostium munimen-  
ta primùm alluere, deinde compa-  
ges operum verberare aqua cœpit.  
Tum demum stationibus hostium  
mutuò sibi succurrendi spes ablata  
est: quippe quem in mediâ palude  
aggerem erexerant, vt ad propu-  
gnandum quoquouersus discurre-  
re miles posset, modicâ sui parte  
eminens iam superfusus fluctibus  
condebatur, vt sic non vnus, sed  
multorum dierum labor ad nihilum  
recideret.

Inter hæc, Piccolomini, qui cum  
auxi-



auxiliis Arnewicum peruenerat, Rumingam progressi, gratus aduentus Principi fuit. Siquidem is magni operis fore oppugnationem existimabat, ob certam suorum iacturam, quæ semper in paucitate grauior est. Ad hoc vir illustris & manu promptus, famâque etiam hodierno Germaniæ bello celebris, ceteros ad prælium suo incitaturus exemplo videbatur. Conuocatis ergo Ducibus copiarum, inter eos de ratione rei gerendæ disceptatum est. Conuenerunt, ut ne plures deinceps dies, magno obsessorum damno, extraherentur; prius tamen, quo explorata Gallorum opera Piccolomineo essent, Watenum (vnde liber in Castillonij Forcii-que castra despectus erat) simul omnes ire placuit. Hic omnibus diligenter spectatis, statuunt superpetias non antè in urbem submitti posse, quàm si prius stationem eiusmodi

modi in hostium castris expugnassent, unde nullo perdendæ operæ metu crebra in urbem auxilia mitterentur. Quocircà palàm aggredi consilium fuit; sed utique iunctis spe mutui auxiliij viribus, eodemque tempore, ut simul Gallos in castris obtererent.

Quoniam verò plurimùm intererat, ut ne à tergo Forcius quidquam per idem tempus aggredere-tur, aut sese adflicto Castellonio adiungeret, cui paulò antè pedestres copias submisisset; negotium Nassauio & Coloredio Comitibus datum est, ut, quantâ possent sedulitate, Forcium retinerent; satis gnari cuncta in expedito fore, si nihil ab eo moueretur.

Re satis exploratâ, Præfecti mutuâ gratulatione functi, ad sua quique munera vertère curam. Et primùm quidem Comes Piccolomineus in castra sua rediit, necessaria  
ad

ad oppugnationem comparaturus. Aliò Princeps curas omnes ad destinatam animo expéditionem intendit. Tum fortè mirâ opportunitate, retentus annis speciem maris fecerat; & iam restagnans aqua, in latitudinem mediam fermè quam dicimus leucam, ternas in longitudinem patebat. Vbi ergo opus ad aspectum iuxtà & vsum insigne suâ præsentia cohonestavit, haud mediocrem sui laboris fructum cepit, qui & ob incredibilem Thalassiar-chi diligentiam eo loco iam erat, vt iam ferè nihil præterquam nauibus auxilium imponere necesse haberet. Is erat Ioannes Claros Guzmannus Fontanus Marchio, qui aptè non milites modò, puluerem sulphureum, fomitesque; verùm etiam, vt ne quid obicis aut impedimenti occurreret, ligones Dunkerkâ miserat.

Primùm itaque ducenta pænè  
 F sulphu-

Sulphurei pulueris vasa nauibus imponi, tum Onelli legionem Hibernicam & Lannoij Gallo-belgæ cohortem iussit: qui quidem non sine quodam victoriæ omine mirè læti, nocte appetente naues agere festinanter cœperunt, Philippo Flandrio Hammarum Præposito, viarum, vt antè, & itineris duce indefesso.

Ad urbem interim acerrimus ferebat Mars; propinquiores muris hostes, tormentis propugnacula, domos, corpora sternere; interiora urbis, adeoque tecta, ollis incendiariis infestare. Præsidarij contra, pristinae virtutis memores, hostium pugnacissimum quemque perpetuis missilibus arcere, crebris & secundis dimicationibus hostes capere. Cruenta huiusmodi oppugnatione, obstinatis vtriusque animis, ad vesperam vsq; Nonarum Quintilium fuit, cum ecce ignis in summâ

mâ turri Watenensi ( vt significati-  
 onibus è longinquo faciendis op-  
 portuna est ) obseruatus , indicio  
 fuit aduenisse tempus , quo miles  
 urbanus ( vt à Principe impera-  
 tum erat ) educeretur ad occupan-  
 dum eum aggerem , qui medius in-  
 ter Fanum Mommelini & Salper-  
 wicum erat : proinde Wesemalius,  
 dato signo , vt omnes ascenderent  
 in rates , ipse è portâ Altipontensi  
 factâ eruptione castra hostium ter-  
 rore impleuit ; vt cum sic eos ad  
 propius periculum retineret , feli-  
 cius alibi suorum res ad aggerem  
 succederent. Hi porro ex vniuerso  
 præsidio nullo nationum discrimi-  
 ne delecti , trecenti numero ( præ-  
 ter agrestes Altipontenses ) triginta  
 leuibus nauigiis impositi sunt , Ioan-  
 ne Baptistâ Ganzinio è legione We-  
 semalij Centurione præesse iusso.

Vix ij destinatum locum attinge-  
 rant , cum eodem fermè tempore,

miles Onelli in aduersam eiusdem aggeris: ripam defiliebat. Itaque gaudere simul & exsilire omnes, lætumque in proximos quosque hostes clamorem effundere cœperunt: qui quidem protinus suspicati quid ageretur, è minori munimento, quod ad extremam aggeris partem obtinebant, in Mommelianum se subripiunt.

Onellus alibi proximas ædes à Cygno appellatas, & coquendæ ceruisiæ destinatas, pari animo inuadit. Has in primis, vt fitu comodo erant, hostes operibus & præsidio firmarant. Verùm vbiterrestrem naualemque cladem sibi imminere non iam vanis iudiciis obseruarunt, pauci in fugâ præsidium posuere; ex iis autem quibus Onelli aduentum sustinere animus fuit, nullus omnino victoris arbitrio se subduxit.

Re utrobique in aggere gestâ ex  
senten-

sententiâ, in acie Principis haud alia fortuna Gallorum fuit: quippe pridie horâ post meridiem quintâ, silenti agmine, ac ne tubâ quidem dato signo nocturnum iter ingressus, sub idem tempus Nieurletum peruenerat. Equites antea admodum octingenti vix dum luce appetente ad impedienda auxilia præmissi erant. Porro ea Nieurletanæ stationis à loci genio conditio erat, vt in eâ hodierna eaque multiplex architectorum militarium industria vix desideraretur: ita apto hosti beneficio, natura soli patiens ligonis erat, vt modico labore aggestas humo munitiunculas etiam vicinis aquis circumcingerent. Hic igitur non perinde vt in aliis, munitiones erant fronte in angulos aut cubitum curuatâ; sed figuræ pleræque omnes quadrangulæ, nullo præsidio nisi à flumine, sinuosis aquarum fossis, aut palude obiectâ quæsito.

Quinque omnino inter ceteras munitiones recensentur: verum ternas dumtaxat, quod itineri imminentes viam ad urbem aperirent, primum omnium simul eodemque tempore occupare Princeps statuit. Igitur quæ propius ad Clarum-mariscum pertinebat, Fonsaldanio; quæ in medio posita, Spinolæ; tertia denique Bacquio proxima, Toralto attributa est.

Hi non aliàs magis felicitatem suam admirati, quam ut coram Principe clara nobilitatis & virtutis specimina exhiberent; suo quique muneri intenti supremum hosti exitium minantur. Fonsaldanius ducentos & quinquaginta milites, Alfonsi Gosgoyæ & Petri Cepedæ Centurionum ductu, paludem ingredi iubet. Eam porrò strenuè iuxta & feliciter, per quingentos fermè passus emensi, ad munimentum perueniunt. Modica nescio  
cuius



cuius casa erat veriùs quàm domus; cui tamen præter eminentem geminum sudium acuminatarum ordinem, terna insuper fossa circum obiecta erat; vt quemadmodum ascensum illæ, si qui in eam coniterentur, ita hæc accessum prohiberet. Illic non initium tantum, sed pænè summa certaminis fuit. Veloces ad prælium Hispani, mirum quàm insolito Gallorum silentio attoniti erant: tunc enim eos ne ultimo quidem rerum discrimine excitari mirabantur, vt iam eos non tam somno quiescere dubiâ adhuc luce, quàm pauore marcere crederent. Sed vbi miles Hispanus, contabulatis duobus nauigiis fossam iunxit, tum demum hostes, siue somno, siue de industriâ conqueuerant, obsideri sese cognorunt; ac protinus ad curam semetipsos tuendi conuersi, cœperunt eos qui pro opere stabant missilibus incessere.

Tum verò vniuersa futuri discriminis facies in oculis fuit: hostibus proximi quique è Francis Ductoribus præsidia mittere, paucique qui post vicinum aggerem erant, munimentum ingredi, atque obsessis animum spe breuè adfuturi auxiliij augere satagebant.

Hæc in oculis fortissimi Principis gerebantur tam insolitâ alacritate nostrorum studioque pugnandi, vt eorum, nisi qui viderit, fidem facere ægrè possit. Hispanis interim spe longè maiorem hostium virtutem expertis, Fonsaldanius, vt cui summa rerum incumberet, supplementa, nempe Martinum Sayam & Petrum Porrium cum suis in auxilium misit, itemque alios ad aggerem; vt (quando illinc etiam periculum erat) rescisso eo superuenientibus fiduciam adimerent. id porrò muneris Didaci Velasco & Ferdinandi Ariæ cohortes, vnà cum

Præ-

Præfectis, exsequi placuit. Tum enim uerò nouis hisce & integris alij aucti, pugnae ardorem cum hoste instaurarunt; & ab iis castello vi expugnato, non tantùm subacti Franci propugnatores, sed etiam, denis fermè exceptis, omnes occisi sunt.

Eadem porrò aduersus hostem superuenientem communita est domus: iam quippe quadratis agminibus, velut in aciem iret, suis adesse festinabat: verùm illi haudquaquam rei agendae facilis patuit via. Princeps etenim suppetiarum huiusmodi satis prouidus, auxilia ex omni legione contracta, perpetuumque aggerem, Dionysio Gufmanno procurante, hosti Claramarisco aduenienti obiecit. Ac primùm quidem Germani, quibus Spinola præerat, ab opere suo auersi in auxilium aduolarunt. Hi tametsi sclopetarij omnes numero quin-

F 5                      genti,

genti, tædio tamen expectandi, ponte nondum strato, desilierunt in flumen. A Toralto deinde centum & quinquaginta ad eum locum contenderunt, Andreae Yagi & Bernardi Inguini Centurionum ductu; denique è Guasci legione totidem, Carolo Campo & Bartholomæo Borellâ præesse iussis. His aliorum exemplo paludem ingressis, Princeps hostile auxilium iam iis propè cohærens & impeditum ad pugnam incessere tormentis cœpit; & tanto dimicantibus præsidio fuit, ut hostes subuenientes, quinques editâ cum nostris pugna, tandem aliò verterit ingenti clade perculsos.

Tum certè mille hostium oppressos ferunt; quorum cæde Castillonius mittendi deinceps auxilij spem abiecit. Inter eos constat Henricum Chiuræum, Marchionem Barræ, vulnus in tibiâ accepisse: vnde cùm noxa remediis superior esset, ferro  
ad

ad amputationem implorato, vita illi cum tibiâ præcisa est. Saucij ex eodem prælio rediêre Ludouicus Britannicus Auangourij Comes, legionis Nauarricæ Tribunus; Fontenayus eiusdem Tribunitiæ cohortis Optio, qui & alterius brachij vsum amisit. Hic est quem vti prorum ad rixam, & ad educendum gladium promptiorem, linguâ suâ Galli *Coup-d'espée* appellarunt. In eâ quoque legione Angeruillius, in alterâ Carolus San-Simonius Montis-Bleruij Dominus, cohortium Præfecti, vulnus excepêre. Porrò in exercitu Principis septuaginta circiter desideratos commemorant, duos vtique melioris notæ & legionis Fonsaldaniæ Centuriones: alter eorum fuit Petrus Cepeda ad ipsam munitionis loricam confossus; alter Didacus Velascus, qui vulnere ad aggerem accepto, in Portu Iecio vltiori post biduum

132 IVL. CHIFFLET. AVDOMARVM  
excessit. Ochoa quondam Hispanicae cohortis è legione Veladae Vexillifer, multisque bellicis operibus clarus, leuiter hostili mucrone ictus est. Is ipse est qui generosâ ætate floridus, primâ feruè vigiliâ ad munimenta hostium ceteris dux itineris fuit; qui que per omne obsidionis tempus, occultis itineribus & hosti ignotis, ex vrbe ad Principem & vicissim commeans, quidquid periculi subeundum erat exsequebatur: quocircâ vt gratam acceptamque sibi ipsius operam Princeps ostenderet, eum digniori militiæ gradu cohonestauit, Hispanicae cohorti præesse iussim.

Alibi Toraltus, vnâ cum suâ Guasci que legione, curam ternis sub idem tempus munimentis intendebat. præcipuum vnum ex iis erat, iniquo planè ad expugnationem situ; quo nempe loco flumen velut in duos amnes diuisum, cum effos-

effosso per artem alueo modicam  
 insulam efficiebat: palus vt in ce-  
 teris obiecta erat, & quem dixi al-  
 ueus quadraginta pedum latitudi-  
 ne patens. Neque tamen ibi melior  
 fortuna hostium fuit; postquam  
 Toraltus, huius capturâ ad postre-  
 mum conatum dilatâ, alia duo mu-  
 nimenta solerti consilio subegit: in  
 horum expugnationem duas è Gua-  
 sci legione cohortes, Saluatoris  
 Ruffini & Francisci Salamenei, se-  
 legit: iis alterum idemque magis  
 munitum attribuit, & qui dedu-  
 ceret Fanfanellum misit: alterum  
 verò Legato Ludouico Antonio  
 Martinio expugnandum dedit, Ia-  
 nuario Boncorio cum centuriâ, quæ  
 satis esse videretur, adiuncto. Sin-  
 guli ergo destinatum opus perfice-  
 re omni ope contenderunt, vsque  
 aded, vt qui Fanfanellum secati  
 erant, nullo periculi metu, in præ-  
 sens vitæ discrimen se coniicerent:

atque inter eos viri Nobiles Thomas Biraguius Vischæ, Balthasar-Philippus à Gandauo-Villanius Isenghemij, Iacobus-Philippus Gomiecurtij Comites, & cum his Mondragonius aliique recensentur. Præterquam enim quòd paludi sese immersere, cuius altitudo gradientium pectora æquabat, hostis insuper totam eam regionem è Bacquianâ statione tormentis infestam habebat. Ceterùm susceptus labor magno omnibus honori fuit: quippe qui vix totam paludem emensi, tantum terrorem præsidio intulere, vt plerique hostium qui intra munimentum erant, properè ad Bacquianos dilapsi, locum nostris ingredi permiserint. Et, quod amplius est, nihil ferè, nisi paucorum desiderio, de mutuâ victorum gratulatione fortuna deminuit. tametsi enim Fanfanellus sclopeti vulnus brachio exceperat; tamen id erat  
 eius.



eiufmodi, vt moram nullam reliquæ expeditioni adferret, ſpe facilis curationis iniectâ.

Cùm hæc Fanfanellus gereret, Martinius ſuo iam munimento poſitus, nouum Toralti imperium exſpectabat: inde ergo pari omnes gradu, ſuperatis ſeptem foſſis, quibus hoſtes paludem diſtinxerant, in conſpectum maioris munimenti acceſſere; tum maximè illius oppugnationem de induſtriâ tantisper omiſſam ſuſcepturi. Primùm pluribus locis interrupto aggere, propugnatores auxilio, ſi quod è Bacquo præſtò afforet, intercluſerunt. Iamque Toralto ſignificabant, faſcibus ſibi & ponticulis opus, quorum præſidio foſſam munimentî tranſmitterent; cùm qui ei præerat, vt ſecum de deditioe ageretur, petiit. Is erat Bettencurtius Villarius Tribunus; idemque omnibus, qui ſtationem Nieurletanam obtinebant,

136 IVL. CHIFFLET. AVDOMARVM  
bant, præesse iussus. Siue ergo de-  
speratione auxiliorum adductus,  
siue parem ceteris fortunam time-  
ret, consuetis belli legibus deditio-  
nem pactus, Calerum à nostris ab-  
legatus est.

Inter hæc nihilo minor præsidij  
urbani gloria fuit: nam cum ea,  
quæ dixi, ad eam fluminis partem  
gererentur quæ exercitum specta-  
bat, par quoque ad alteram Iper-  
sello cum validâ præsidij manu  
egresso certamen fuit: nempe is al-  
terum illud munimentum strenuè  
iuxtâ & feliciter expugnauit, quod  
antè à Gallis constructum erat,  
quò alterum à Cruce appellatum  
faciliùs tuerentur.

Hæc tum ibi hostium conditio  
erat: ceterùm eodem die, cum iam  
Princeps curam mittendo auxilio  
intenderet, à Nassauio nuntius ve-  
nit, pridie conflixisse ipsum cum  
integro Forcij equitatu peditatu-  
que,

que, satisne an minùs prospero euentu incertum; eadem certè vtriusque acceptam; sed hosti eò grauiorem, quòd apud eum promississimi quique cecidissent. Quoniam autem huius prælij fama inter hostes longè maior quàm par esset, fuit; haud abs re erit primordia eius seriemque aperire.

Pridie Forcium Castellonius per armigerum admonuerat, ni maturè subueniretur, Regis exercitum intra munimenta obtritum iri; trahendæ deinceps obsidionis vix vllam subesse rationem. Forcius, vt qui rerum vsu didicerat famâ bella stare, & eum qui recedat fugere credi; tam insperato primùm nuntio perculsus, attonito similis paulisper hæsit: inde tamen vsu necessaria in rebus aduersis sequenda ratus, concilium Procerum adesse iussit. Litteræ Castellonij plenæ desperationis omnibus visæ; quocir-

cà,

138 IUL. CHIFFLET. AVDOMARVM  
cà, postquam statuerant eum peri-  
culo eximere, mandarunt vt se-  
quenti die, qui profectio[n]i dictus  
erat, relicto grauiori comitatu om-  
nes parati essent, binis dumtaxat  
equitum millibus ad castra interim  
tuenda relicto. Sub hæc Nassauium  
& Coloredium, qui haud procul  
in castris erant, de inito ab hoste  
consilio explorator admonuit. Igi-  
tur quò Forcium Castellonio iungi  
prohiberent, equitatum nouem ag-  
minibus distinctum educunt. Iam  
ad teli iactum ab hoste peruenerant,  
cùm ipse Forcius, numero eorum  
comperto, partem equitatus obiecit;  
quæ leui prælio tantisper eos mo-  
raretur, dum post hosce velites, vni-  
uersum equitatum peditesque dis-  
poneret. Fortè nostri equis ad pa-  
stum exscenderant, cùm repentè  
ex aduerso apparuit equitum illud  
hostile agmen, turmas in obuios  
conçantium. Quibus conspectis,  
qui

qui in acie nostrâ primas tenebant Alarij Piccolominei Comit̃is nuper è Germanis tironibus conscripti, cùm tantis copiis haudquam pares essent, agmen Serrauallij Comit̃is, in quo & Sozzius Comes erat, vnâ cum Thomæ Biraguij Vischæ Comit̃is turmâ in auxilium protinus aduocant. Pari curâ hostium nobilissimi quique Forcio duce ad primam aciem augendam procurrerunt: quò supplemento hinc atque hinc animati, atrox miscuere certamen, multâ vtrimque clade. Galli vt auidi certaminis, ita ob id ipsum incautiores, vbicumque alium alij fors miscuerat, dimicabant. quocircâ nostri laxatos ordines inuadere incipiebant, cùm repentè pugnæ fortunam verterunt sex aeneæ machinæ, & sclopetarij mille numero post equites à Forcio dispositi: his quippe, cùm iam eorum equitatus in diuersum abiret,

.simul

simul nec opinatò iaculantibus, subitus terror nostros, insidiarum eiusmodi imprudentes, perculit. Tum aliquot equitum ruina fuit, sed utique equorum maior, eorumque maximè, qui primi retrò concesserant. Plerique stragis acceptæ caussam referunt ad paludes recedentibus obiectas, quibus equi impliciti vectores destituère. Ceterùm ne hostis nostros ad interuersionem persequeretur, saluti fuit tum ab ultimis recedentium instructa vallo similis acies (quales & Caroli de Gauerà Embisæ Baronis, & Caroli Padillæ, fuère) tum castellum minus, cui Galli, cùm eo potirentur, à Lermontio hodierno Ardeæ Præfecto nomen fecerant; idque paulò ante hanc pugnam à nostris receptum, vsui fuit, ut inde tormenta in inconsertos ac temerè se offerentes hostes excuterentur.

Onerauit acceptæ cladis dolorem

nun-

nuntius mortis Hieronymi Comit-  
tis Coloredij, qui in ipso ardore  
certaminis occubuerat; nempe, viri  
illius, cuius nomen, ob res in Ita-  
liâ, Bohemiâ, Germaniâ, Belgio  
denique præclarè gestas, celeberrimum  
erat. Ferunt auditam ex eo  
sæpiùs vocem, vlturum se olim eam  
iniuriam, quam biennium totum  
perpeffus fuerat, cùm in arce nemo-  
ris Vicennarum apud Lutetiam de-  
tineretur. Inter faucios, quorum  
numerus exiguus fuit, Ludouicus  
Rheni Comes Salmarum Princeps,  
Stauliusque Germanicæ cohortis  
Præfectus, referuntur. Pauci præ-  
tereà, ii que obscuriores, desiderati.  
vt nempe mirum sit, quantum in-  
ter hostes viri quidam nobiles, cla-  
dem hancce mutuam, pro ingenti  
victoriâ apud suos extulerint; alij  
Hispanos Germanosque ingenti cæ-  
de prostratos, alij circa duo equi-  
tum millia in palude submersa scri-  
pserint.

142 IVL. CHIFFLET. AVDOMARVM  
pferint. Credidisse eos propè pa-  
tem vbique fortunam fuisse, facilis  
coniectura est; vel potiùs (nam &  
hoc verisimile est) eos in adulatione-  
nem pronos, Forcio tantum suffra-  
gari voluisse, quantum Castillonij  
infelicitatem criminabantur. quip-  
pe satis exploratum est, huic obtre-  
ctasse omnes qui Forcium seque-  
bantur, eiusque famam litteris in  
Aulâ eleuasse. At enim quocumque  
illi nomine stragem appellent, ne  
ipsis quidem incruenta victoria fue-  
rit: nam & eorum non minùs tri-  
ginta, clara vtique patriæ militiæ de-  
cora, cecidisse ex litteris interceptis  
compertum habeo. Quorum autem  
nomina ex iis cognouimus, ferè  
sunt hæc: Franciscus le Hardy Pa-  
risiensis, quem vulgò *la Treusse*  
appellatum confodisse Coloredius  
traditur: tum qui primum hostium  
Tribunus Equestris agmen duce-  
bat, Franciscus Fumeus Turonen-  
sis,



sis, cui quoque Rupes Sancti-Quintini nomen fecerant. Ab his dein-  
de Ioannes Paulus Cugnacius Pauliaci Dominus, natione Vasco, Prætorianæ legionis Optio; qui cùm animam ageret, Valencij Tribuni sui iussu Caletum exportatus est: Fouillouxius gente Cenomannus, idemque Montesclerij Equitis Melitensis frater, Marinensis legionis Protribunus: Kaersausonius Britanno-Aremoricus, Carolus Bochartius Bordæ Dominus ex agro Parisiensi, Marolius, turmarum equestrum Præfecti: Marecius denique turmæ summi tormentorum Præfecti Optio, idemque Montis-Barotij Dominus. Alij prætereà, quorum tamen nomina prodita non sunt, cecidere: nam & ab hostibus omnes fermè Regiæ prætorianæ legionis Præfectos (quæ viginti cohortibus constabat) aut in prælio occidisse, aut saucios inde reuersos,

litte

144 IVL. CHIFFLET. AVDOMARVM  
litteris traditum est. Rotondifius  
Biscarasij Dominus, Castrorum  
Præfectus, leuiter quoque in eo  
prælio ictus est. Porro inter paucos  
ex hostibus captiuos, vnum præ ce-  
teris melioris notæ Lillerium ab-  
duxit Henningius Christophori  
Comitis Ritbergici Tribuni Eque-  
stris Legatus: adolescens is erat an-  
norum fermè sexdecim cognomine  
Poussardus Forsij Marchio, patre  
Vigeanio item Marchione apud  
Pictones genitus.

Interea cum iam nullus ad urbem  
metus adesset, amissorum deside-  
rium, ciuium militumque tutò ex  
vrbe commeantium præsentiam non-  
nihil leuatum est: quippe iam tum  
plerique secundo flumine cibos in  
castra adferebant, eorum plerisque  
militi gratuitò concessis. Quin &  
eò Episcopus, Bertinianus Antistes  
& Senatus vrbis se contulere, Prin-  
cipi totius populi vice victoriam  
gratu-

gratulaturi. Hic ingentes ei gratias agere, quod se voti compotes fecisset: equidem exploratam pridem habuisse eius fortitudinem; verum eam ipsam, totâ durante obsidione, ita multis fuisse documentis expertos, ut in posterum magis ac magis conari deberent, Ferdinandi optimi Principis prudentiam reuereri, qui tantum eis libertatis assertorem procurasset. Quos cum ille, ut erat vicem eorum lætus, excepisset comiter benigneque; tandem mutuis gratulationibus perfuncti, gaudio, uti par erat, gestientes, in urbem reuersi sunt.

Postero die consilium fuit eos in urbem mitti, qui faucij ad Nieurletum facti essent: tum mille & quadringentos Hispanos, qui aliis obsidionis diuturnitate defessis, integris ipsi viribus succederent.

Per idem quoque tempus, cum Princeps è re ciuium ita fore exi-

146 IUL. CHIFFLET. AVDOMARVM  
stimasset, Nassaviium & Hembur-  
gicum Comites in urbem misit,  
haud exiguo incolarum bono; &  
hunc quidem, quoniam eum ut  
Præfectum suum videre, mirum in  
modum ciues expetebant; illum ve-  
rò, quòd in urbem commeans fi-  
dem faceret, eo iam hostes apud  
Principem loco esse, ut eius assen-  
su, Magistro Equitum adire ciues  
liceret. Neque viui tantùm Duces  
aut milites, sed mortui quoque in  
urbem delati: bini quippe è D. Fran-  
cisci disciplinâ Coloredij corpus,  
vti moriens ipse mandauerat, in Æ-  
dem suam intulêre: vbi, familiari-  
bus rei que bellicæ ministris paren-  
tantibus, multùmque ingemiscen-  
tibus, tumulo illatum est.

Hæc ad Nieurletum gerebat  
Princeps, cùm aliò Piccolomineus  
ad expugnationem Bacquianæ sta-  
tionis pari studio incumberet. Is  
Achillem Præcipianum Soyæ in Se-  
quanis

quanis Baronem præmiserat, mille  
 peditibus è Cæsareo exercitu attri-  
 butis. Is vt ne tam excellenti nomi-  
 ne indignum se exhiberet, idoneum  
 protinus & imminentem hostili cui-  
 dam munitiunculæ locum ad op-  
 pugnandum militi suo delegit. Mu-  
 nitiunculæ situs erat eiusmodi, qui  
 haud dubiè moram reliquæ expe-  
 ditioni non exiguam afferret. In ipso  
 aggere ad ripam fluminis posita  
 erat, & sic in primis Bacquiano ca-  
 stello commeatu iuuando opportu-  
 na. Eam ergo Præcipiano fortiter  
 iuxtà & strenuè oppugnare adorto,  
 cum inter pugnandum Præfectus  
 & cum eo terni hostium cecidissent,  
 ceteri defecere animis; & in vltre-  
 riorem fluminis ripam se recipien-  
 tes, vacuum præsidio locum reli-  
 quere. Inde animo ad maiora con-  
 uerso, iter ad castellum maius eo-  
 dem animi ardore persequitur. Ibi  
 optimum ratus, medium inter ag-

148 IUL. CHIFFLET. AVDOMARVM  
gerem & castellum maius locum  
insidere, quò mutui spem auxiliij  
auferret; mira dictu res! ingentem  
fascium struem obuiam habuit,  
planè vt sibi eo loco congestos ex  
composito crederet: mille numero  
& ampliùs erant, quibus vti hostis  
decreuerat, vt loricam sibi à castel-  
lo ad aggerem strueret. protinus  
ergo molem ex iis, quâ mœnium  
castelli altitudinem æquaret, extru-  
xit. Huic operi intento superuënit  
Piccolomineus; qui quò promptio-  
ribus animis reliqua oppugnationis  
munia obirent, Soyum militemque  
eius impensè laudauit.

Hæc Bacquianæ stationis facies  
erat, quâ maximè ad urbem perti-  
net: porrò Baro Suysius Piccolomi-  
nei Legatus cum pedestri acie alte-  
rum stationis cornu, quod Momme-  
lini castellum claudebat, premere  
iussus est. Primùm ergo obiectam  
sibi alteram munitiunculam cepit;  
&

& exinde sedibus ad collocandas  
 machinas occupatis, Caretti Mar-  
 chionis machinarum Præfecti par-  
 tes fuere, munimentum maius ad  
 Mommelini Fanum extructum vi-  
 ginti omnino machinis verberare.  
 Quatriduum totum id oppugnatio-  
 nis genus consumpsit, donec mœni-  
 bus ita concussis, vt hostes iis refi-  
 ciendis vix pares essent, Princeps  
 Piccolomineum de nouâ impen-  
 dente procellâ admonuit: Forcium  
 nempe aduentare nuntiabat, prælio-  
 que, vt intellexerat, viam ad auxi-  
 lium meditari; proinde in festina-  
 tione positam esse victoriam, nec  
 deinceps animi magis quam celeri-  
 tatis præmium fore. Ergo Piccolo-  
 mineus nullam moram interponen-  
 dam existimans, ratum firmumque  
 esse respondit quod ipse suasisset:  
 porrò commodum sibi in primis  
 videri, ne spem suam euentus fru-  
 straretur, si Principis miles vicinum

150 IVL. CHIFFLET. AVDOMARVM  
sibi munimentum aggredere-  
tetur, cum interim ipse in Mommelinia-  
num irrumperet; fore nempe ut sic  
hostem à Cæsareo milite ad Re-  
gium conuerteret. Id verò prom-  
tius quam rogabatur præstitit Prin-  
ceps: namque, ut ab eo præceptum  
erat, Iosephus à Saavedra, assum-  
tis mille secum Hispanis, & Fran-  
ciscus Toraltus cum octingentis è  
variâ gente, eò processit. Quin  
etiam iis præter cohortem præto-  
rianam Equites etiam trecentos ad-  
iungi placuit, Ioannis Viueri Ma-  
gistri Equitum Optionis ductu.

Vix destinatum locum attigerant,  
cum Suysius ordines agminum ad  
oppugnandum instituit. Hierony-  
mo Comiti Lodronio pars muni-  
menti ad hostium læuam attributa  
est, ut quæ concussa mœnia essent,  
cum suâ Sauelliq̄ue Ducis legione  
irrumperet. Tribuno Moro deinde  
imperatum, ut alteram mœnium

par-



partem, quam propè in medio stationis machinæ aperuerant, cum suâ & Badensis Marchionis legione inuaderet. Postremùm, Suisius Baroni Soyo præcepit, vt iunctis sibi Comitibus Gallassij & Florentini Principis legionibus, scalis strenuè admotis, in dextrum stationis latus eniteretur. Cùm ad eam rem intentione se parassent curâ, nihil præter signum opperiebantur, quod omnibus ollæ incendiariæ fragor dedisset. Iam ergo ordines rectâ fronte, totisque viribus aggressuri erant, cùm ingens inde hostibus formido incussa est: ad ipsum quippe tanti discriminis casum solliciti, modicum superesse temporis reputabant, quod vltimum eorum exitum intercederet. Iamque omnia sibi arctiora, & explicatas ac minantes aquilas, nec aliud præter signum ad oppugnationem deesse conspicati, pileo primùm extra munimenti lo-

152 IVL. CHIFFLET. AVDOMARVM  
ricam protenso, mox etiam pulsa-  
tis tympanis, velut animi sui indici-  
bus, Ducum nostrorum colloquia  
postulauere. Sed cum neque his  
indiciis mens eorum satis notari  
posset, nobilem quemdam pro Ca-  
duceatore misere, qui sudarium  
pileo suo intextum, idoneum suae  
profectionis testem ferebat. Hunc  
procul venientem ubi Piccolomi-  
neus intuitus est, vultu humanita-  
tem praeferente ad audiendum eum  
occurrit. Exponit ille, Manicam-  
pium ceterosque qui munimentum  
D. Mommelini obtinebant, cum  
amplius tolerare obsidionem non  
possint, nihil perinde ac deditio-  
nem exposcere: reliquum esse dum-  
taxat, ut de conditionibus agerent.  
Ad haec Piccolomineus, *Tandem,*  
*inquit, pacisci necessitas coegit: quod*  
*ad me attinet, nullum subesse me-*  
*tum quo id efficiam, cernitis; proin-*  
*de vestrum est conditiones non dare,*  
*sed*

sed accipere. Quod si detrectatis, id quemque nostrum habiturum cernitis, quod proxima pugna assignatura fortuna est; nec eam vobis meliorem, quam plerique Nieurtetana stationis experti fuerint, polliceri debetis. His ergo dictis, annuit ut incolumes quidem, sed signis & machinis in munimento relictis, pilis haudquaquam, ut assolet, in os insertis, tubis tympanisque silentibus, demum incendiariis funibus extinctis abire liceret. Pluribus copiarum Ducibus visum; ut solos in manu bacillos præferentes dimitterentur, consueto militiæ ritu, cum eò sese periculi adducî patiuntur. Verùm cum contrà vrgeret Gallorum Caduceator, per summam Comitum humanitatem, ut arma tandem & sarcinas secum efferrent, exprefit. Ceterùm & his Comes adiecit, tum demum ratum id fore, cum obsides fidei mitterent.

Internuntius ad Manicampium inde rediit rogatum quid censeret: quo perlubenter eas ipsas conditiones amplexante, illicò ad congressum nostrorum reuersus est, binis cohortium Præfectis & Legatis totidem assumtis, quos Piccolomineus velut obsides fidei retineret. Idem-que obsecrare cœpit verbis Manicampij, vt sibi Castellonium ad eundi copia fieret, nuntiataro quo tandem ipsi in loco versarentur. Comes primùm auxiliorum metu detrectare, deinde annuere cœpit, dummodò proximâ luce sub meridiem præsidium munimento se educturos sponderent. Cumque hostes idem purè riteque polliciti essent, totius pactiois legibus, verbo non scripto conceptis, eundem nuntium, ad exsequenda quæ petierat, dimisit. Ne verò quis ei per licentiam militarem conuiuium faceret, Centurionem & cum eo  
 bucci-

buccinatorem viæ comites adiunxit. Ille vbi Arkas peruenit, Castillonium obluētantem obsidioni, & fortunâ suorum territum, vrbi languidiùs instantem reperit. Porrò nuntiauit quanto in discrimine essent qui Bacquianam stationem obtinebant, proinde consilium mature adhibendum quid optimum factu esset: socios qui Mommelini castello præerant, cum vndique vis mali vrgeret, datis obsidibus, ad rumpendam deditiois moram compulsos, iamque eos fide & obsidibus teneri, in alterum eiusdem stationis castellum cui Bacquio nomen migrare; vt, nisi quid ab eo esset auxiliij, de eâ quoque parte Piccolomineus decedere iuberet. Tum certè, si vnquam, iactari Castillonius cœpit, præsentis curâ periculi veterem ad Louanium renouante. Protinus ea ad consilium refert; vbi nemo diu quid sentiret.

incertâ Regis voluntate dicere ausus est. Subibat animos, Cardinalem Richelium susceptam obsidionem quacumque ex causâ solui vetuisse; eum porrò apud Regem esse, cuius gratiam vt expetere, ita iram timere omnes possent. Itaque fluctuantibus ob metum Præfectorum sententiis, ne & ipse Castillonius omnem spem omittere videretur, subuenire Bacquianis quoquomodo decrevit: quocircà sexcentos milites à tergo ad munimentum obsessum misit; vt sic obsessi, quos minui præliis necesse erat, subinde incremento nouarentur: & his quinque naues adiunxit benè magno com meatu onustas. Sed cùm eos aggerem, quem Onellus insidebat, præteruehi necessarium esset, adeò non latum Bacquianæ munitioni auxilium est, vt potius ingens succurrentium strages edita sit. Princeps quippe, viis huiusmodi auxiliij

lij expensis, properè ad Eugenium Onellum miserat, qui simul periculum ostenderet, simul iuberet, vt ab illo imminente hostium cuneo stationem suam tueretur; intereà verò id acturum se apud Piccolomineum, vt ne quid ei vel militum vel cibariorum deesse posset. Egressis ergo ex Mommeliniano secundùm pacta conuenta Gallis, quingentos è suis illicò selegit Piccolomineus, eosque bellico com-  
meatu adiecto ad Onellum misit.

Cùm sub hæc intentus in euentum esset Princeps, depulsis cælo tenebris, ab Onello rei gestæ nuntius aduenit, qui Martem retulit totam ibi noctem cruentissimum fuisse, Gallosque inde non minore suorum clade quàm periculo pulsos: iam verò se ripam fluminis viris armisque obtinere, quò sic arceret accessum, vt qui proximè ad Salperwicum se applicassent,

missilium grandine abistere cogere-  
ret; hostium quàm plurimos desi-  
derari, quorum numerum vix dum  
inire potuerat, cùm eorum plerique  
aquis exhausti essent. Ad hæc, Gan-  
zinium Centurionem pontem illis  
à tergo rescidisse, vt iam ex clade  
superstitibus spes nulla remeandi  
superesset. Denique eam victoriam,  
nequaquam sibi lætiores, quàm  
militi suo quæstuosiores fuisse; qui  
iam non solum plumbeis glandi-  
bus & sulphureo puluere instru-  
ctus esset, sed cibariis insuper, quæ  
binæ Francorum naues vehabant,  
largè recreatus.

Deditio munimenti Mommeli-  
niani haud tristior Castillonio ac-  
cidit, quàm acceptæ huiusce cladis  
nuntius: exinde quippe iam præ-  
cisâ omni auxiliorum spe, inter  
manendi fugiendique consilium  
hæsitans, quæ in vtramque partem,  
hinc gloria, hinc pudor subiicie-  
bat,



bat, æstimare tacitus cœpit; donec  
 tandem iniecta Regij exercitus cu-  
 ra pertinaciam vincens, eò progres-  
 sa est, vt ad Regem Camanium  
 domo Auenionensem allegaret, qui,  
 nihil iam obstante Cardinalis im-  
 perio, compertam oculis periculi  
 magnitudinem denuntiaret. Ille  
 vnus scilicet in tantâ nobilium tur-  
 bâ exstitit, qui ad Regem vsque  
 adeò tristes nuntios perferret. Vix  
 abierat, cùm Castillonius, iam de  
 salute magis quàm vrbe sollicitus,  
 & grauiorem insuper cladem exti-  
 mescens, eum ipsum remisit qui à  
 Bacquianis venerat, litteris ad Ma-  
 nicampium & Bellifontium reddi-  
 tis. Scriptum in his erat, vt cùm  
 maiora tum minora Bacquianæ sta-  
 tionis munimenta dederent, prius  
 tamen quò famæ consulere, bo-  
 nis, quantum fieri posset, lenibus-  
 que conditionibus paciscerentur; vt  
 sic vnà cum armis & sarcinis, vexil-  
 lis

lis explicatis & tormentis excederent: demumque, ut se suspicione exsoluerent, has ipsas litteras asservarent diligenter.

Commodum illi ad præstitutam horam è munimento Diui Mommelini in proximum Bacquij castellum migraverant, cum idem nuntius rediens superuenit. Ergo, ut præceptum erat, Præfecti protinus Legatum ad Piccolomineum misere, qui denuntiaret ei quæ Castellonius scripsisset: sed triste ab eo responsum redditur, non esse huiusmodi legibus locum, nec alias convenire fortunæ in quâ essent, quàm quas pridie in deditione Mommeliniani observassent. Quocirca rem cum ipso hostis ita transiit, ut hisdem legibus arma dumtaxat & sarcinas exportarent. Helvetiorum plerique ad Piccolomineum defecere, ceteris, qui non mutarunt fidem, supra trecentos & duo

duo millia numeratis. Subactos per agrum Luxemburgensem, solerti consilio in Galliam uertit iussit, cum ipsi haud ita pridem Raincurtium nobilem Tribunum in Sequanis, Ledone-Salinensi cui præerat eductum, pactumque ut suis Burgundionibus redderetur, post varios per Galliam anfractus, traductum cum suis per omnium ora, secundo Rhodano per mare Ligusticum, tandem in Ducatum Mediolanensem exposuissent. Quaternas è grandioribus machinas munimentis reliquisse, compertum est; & eas quidem velut ad memoriam posteritatis, liliis gentilitio Gallorum Regum simbolo conspersas. Adhæc alimenta, ceteroque bellicos commeatus, & vexillum; quod illicò, ceu opimum belli decus, à Principe in urbem perlatum est.

Cum nulli amplius dubiam esset.

162 IVL. CHIFFLET. AVDOMARVM  
set, quin hostes quamprimùm ob-  
sionem soluerent; decrevit Prin-  
ceps, & cum eo Piccolomineus,  
aliique copiarum Præfecti, in vr-  
bem adire, ad vires animosque pro-  
pugnantium præsentia suâ recrean-  
dos. Ciuium magna pars, quâ in-  
traturus erat Princeps, conuenit:  
altera verò, eaque præsertim mili-  
tum, obuiam ei cum Comite Isen-  
burgico Atrebatium Præfecto egres-  
sa est. Præibant tibicines quatuor,  
ad maiorem clangente tubâ lætitiæ  
significationem: deinde sequebatur,  
qui relictum ab hoste vexillum  
præfererat. Proximus ab eo Prin-  
ceps leui ac parabili cultu, eaque  
oris & corporis ad modestiam con-  
formatione, vt ciues non eum vi-  
ctorem magis, quàm alium quem-  
libet fuisse crederent: modico eum  
interuallo Piccolomineus, huic ce-  
teri cum Duces, tum Præfecti, ip-  
sumque militum vulgus, iam suis  
facino-

facinoribus nobile, sequebantur.

Hoc igitur modo Princeps, ut eximius religionis iuxta ac militiae cultor est, omissis aliis curis, Virginem cui à Miraculis nomen adiit, vexillum propitiæ civium vindicæ persolaturus: eo nimirum consilio, ut opem Virginis, quæ haud dubiè interuenerat, agnosceret; tum ut vexillum pendens è sacelli pariete, quot spectatores tot beneficii testes haberet. Hisce pietatis perfunctus officiis, externa militum opera spectatum circumiuit, non vtrique sine ingenti admiratione, quòd hostes in oppugnando remissiores fuissent. Satis constat dixisse eum, facillimum ascensum fuisse in eam quam Hispani Italiq̃ue molem terream obtinebant, cum ea binis in locis subruta, etiam equites haud agrè admisisset. Sed hostes ita animo defecerant, ut tum magis reiectos propugnantes, quàm terreos & præruptos.

164. IUL. CHIFFLET. AVDOMARVM  
ruptos aggeres formidarent. His  
perspectis, non tam suam, quàm  
quorum saluti studuerat, vicem læ-  
tus, in castra remeavit; priùs ta-  
men excedens mandavit Isembur-  
gico, vt modicis quidem, sed fre-  
quentibus irruptionibus hostem la-  
cesseret, crebroque quid ageret mo-  
lireturve exploratum iret; ipsum  
denique de omnibus ad fugam ho-  
stium pertinentibus subinde faceret  
certiorem. Hinc proximo die neu-  
tris aut cessatio, aut quies fuit, nec  
ab vllò sudori aut sanguini parci-  
tum. Mirum certè, hoc tempore eos  
qui hætenus obsessi fuerant, alios  
quoque circumuenire obsidione ius-  
sos. Id muneris Antonius Becur-  
tius, rebus intra urbem totâ obsi-  
dione præclarè gestis inclytus, ex-  
pleuit; quippe qui vrbe egrediens  
modicâ manu, hostes Claro ma-  
risco exegit.

Intercà loci, Præfecti hostium  
nihil.

nihil perinde ac discessum maturabant; iam ipse Castillonius machinas, cum omni curruli vectorioque instrumento, Monthulinium primum, deinde Monasteriolum exportabat. Quin etiam Forcius ad Salperwicum aderat, sed testis magis quam vindex; & ut in aduersis fieri solet, iam tum in alterum culpam referens. Id adeò ex hostium litteris compertum habeo, quæ viâ Lutetiam ferente per hos dies interceptæ sunt. Harum, quia pleræque à nobilibus in exercitu Forcij scriptæ sunt, pretium operæ visum est capita historiæ intexere, ut exter egregium hostium, vel de modicâ ipsorum concordia, vel de Principum & militum nostrorum virtute testimonium: linguæ quippe violentia & verborum temeritas, quæ tum plerique in Castillonium iaculabantur, locupletes infensi in eum animi testes fuere.

Primus ex his, *Forcius*, inquit, quam operam pollicitus erat, sedulo prestitit: quippe qui à Rege non ad cingendam urbem missus, sed ideò solum ut exercitum *Castillonij* com-  
 meatu iuaret; hostemque, si quan-  
 do ad petendum pabulum egredere-  
 tur, caderet. Alius, idemque festi-  
 uo ingenio, hæc scripsit: *Quintus*  
 dies est, ut in hanc propinquiorem  
 stationem migravimus, *Castillonio*  
 suppetias laturo: malè me herculè  
 hostes eum excepère. Etiamnum die-  
 bus singulis, idem aliam atque aliam  
 nobis pennam eripiunt: futurum  
 tamen speramus, ut quâ ratione ve-  
 nimus, pedibus nempe in patriam  
 propriasque domos simus reversuri.  
 Alius adseribat, citra ullam *Gaze-*  
*te* vanitatem (commentarij genus  
 est, quo res ubique gestas vulgus  
 Galli edocent) quatuor sociorum  
 millia, quâ ferro, quâ morbo, extin-  
 cta. Sed vnus omnium optimè, etfi  
 ad



ad amicam, tamen citra iocum, Prælio, inquit, decernere certum est; verùm hostes victoriâ elati, manus nobiscum, qui propè spem omnem abiicimus, nolent conferere. Felix utique esset Castillonius, si vitam simul cum fortunâ exueret. Nihil iam nostri ægrius ferunt, quàm quòd in Galliâ nati sint, & palàm Deum, ut est, æquissimum agnoscunt, qui sic admissa à nostris scelera ulciscatur.

Ita militantium nec indignatio nec lætitia moderata est: plures antea, ut in suo negotio hebetiores, nunc temeritatem Principis Cariniani, nunc paucitatem nostrorum spernebant; &, quod ex litteris eorum compertum est, vulgò vsurpabant eorum duram esse conditionem, qui vel Hispani essent, vel eorum partibus adhærescerent. Quidam, an satis sobrius nescio, certè aliquando Lutetiam scripsit, eam esse obsidentium felicitatem, ut propè

ad

*ad medium diem somno indulgerent.*  
 Tam verò cùm neque Gallum esse,  
 neque corpora curare bonum esset,  
 eos maximè pudebat, quòd in eam-  
 dem calamitatem recidissent, quam  
 procaciùs in aliis paulò antè ride-  
 bant. Sed nec ab iis intra verba pec-  
 carum est: die quippe Quintilis  
 decimosexto quo hæc scripta erant,  
 ipse etiam Forcius, Salperwico vil-  
 lâ Cœnobij Bertiniani fœdè incen-  
 sâ, castrorum reliquias mouit; priùs  
 tamen Castillonij copiis intempe-  
 stâ nocte dilapsis, quam densatis  
 agminibus & perpetuis vigiliis  
 egerant.

Sub idem tempus Duces inter  
 sedulò consultatum est, quoniam  
 modo maiorem abeuntibus hosti-  
 bus cladem inferrent. Sed in eo  
 cœtu, alij persequendum hostem  
 censuère, aliis & plerisque visum  
 est aperiendum ei perfugium; qui  
 si tantillum militiæ peritus esset,  
 citra

citra damnum posset euadere. præ-  
 terquam enim quòd in vicina sese  
 oppida recipiebat, alia insuper nec  
 minor difficultas suberat, viis fer-  
 mè omnibus, quæ antea pro nostris  
 erant, in contrarium conuersis. Per  
 urbem enim, quâ breuissimum pa-  
 tebat iter, vix licere hostem perse-  
 qui existimabant, cùm prius per  
 aggerem ingrediendum esset, quì  
 modicum patens, equestres copias  
 agrè caperet; ad hæc vicina cir-  
 cum prædia vsque adeò frequenti-  
 bus riuus distingui, vt damnosam  
 sine dubio moram adferrent. Va-  
 riantibus hoc modo sententiis, ta-  
 men cessare diutiùs non placuit;  
